UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Tractatvs De Institvtione Sacerdotum, qui sub Episcopis animarum curam gerunt, quo ad mores eorum & reliquam vitam

Soto, Pedro de

Louanij, 1562

urn:nbn:de:hbz:466:1-30247

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2383.

G. I
20

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D
Sa
a

Ad

Ex

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# TRACTATVS
# DE INSTITVTIONE
Sacerdotum, qui ſub Epiſcopis animarum curam gerunt, quo ad mores eorum & reliquam vitam.

Authore R. P. F. Petro de Soto.

Societ Jesu Paderbornae

*Adiecimus in ſine paruum & doctū tractatum de modo ſe præparandi ad celebrandū miſſam, authore S. Bonauentura de Balneo Regio.*

Ex donat. R. D. D. Sebastiani Scholtr a. 1598.




Louanij apud Hieronymum Vvellęum Bibliop. Iur.
Anno. 1562


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## Lectori S.

CVpio te admonitũ cãdide lector, me hic tibi ſolũ exhibere ſecundũ tractatũ de inſtitutione ſacerdotum. Atq; ideo ſtudiò adieci titulo huic (*Tractatus de inſtitutione ſacerdotum*) hanc clauſulam (*Quo ad mores eorum & reliquam vitam.*) Siquidem in primò tractatu, agitur de ſeptem ſacramentis. Porrò non ideò hãc partem omiſi, quaſi illam paruipendam: Verùm quia prolixa eſt & etiam quia multi hoc tẽpore qui Catechiſmos ediderunt, de 7. Sacramentis etiã doctiſſimè ſcripſerunt: Non ita ex propoſito tractantes de moribus & vita ſacerdotũ. Viſũ eſt itaq; expedire hanc partẽ ſolam tibi exhiberi. In qua velut in tabula, videas probũ ſacerdotẽ depictũ, cũ omni ornatu ſuo ſpirituali. Si ad hanc picturã mores tuos cõponas, nec me laboris huiꝰ, nec te lectionis facilè poenitebit. Vale.

4. ¶ INDEX LECTIO-
*num quæ in hoc libello*
*continentur.*

De peccatorum diſcrimine, & ratione medēdi vulneribus animę, quatenꝰ Parochis neceſſaria ſunt.


Lectio prima. *De ratione & volūtate, primis actionum noſtrarum principijs.* 25
2 *De actibus rationis practicæ & voluntatis.* 39
3 *De reliquis omnibus potētijs humanorum actuum principijs, & præcipue appetitiuis, et actibus earum* 49
4 *De voluntario in humanis actibus omnibus, de habitibus, & prima diuiſione humanorum actuū in bonos et malos.* 58
5 *De bonitate & malitia humanorum actuum.* 67
6 *De ratione peccati, & de diſcrimine venialis & mortalis.* 75
7 *De eodem, & diſtinctione peccatorum venialium* 87
8 *De peccato veniali appetitꝰ ſenſitiui & primis motibus.* 95


De

9 De peccato delectationis in cogitatione peccati. 108
10. De differentia mortalis & venialis peccati ex obiecto ſiue ſua ſpecie. 125
11 De eodem ſpecialius. 140

℄ De ratione medendi peccatis, quatenus pertinet ad ſpirituales iudices.

Lectio prima. fol. 157
2 De origine et cauſis peccatorũ, & de prima earũ, ſcilicet ignorantia, in ſpeciali. 167
3 De infirmitate. 182
4 De vltima peccatorum origine, malitia ſcilicet. 193
5 De remedijs & ratione medendi animarum vulneribus in ſpeciali. 210
6 De eadem re. 227

℄ De vita ſacerdotum.

Lectio prima. fol. 224
2 De moderato appetitu habẽdi 253
3 Quomodo circa bona Eccleſiaſtica habere ſe debeant miniſtri eccleſiæ, & de reliquis contra auaritiam. 264



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

4 De his quæ ad temperantiã miniſtrorum eccleſiæ pertinent, & cæteris quæ ad pietatem et religionem. 193
5 De his, ad quæ ex officio curæ animarum, tenentur ſacerdotes. 210
6 De cognitione & cura ouium in ſpeciali. 227

TRACTATVS BREVIS

Domini Bonauenturæ: de modo ſe præparandi ad celebrandum miſſam. fol. 326. & ſeq.

VTILISSIMA QVÆDAM

Epiſtola eximij & deuoti doctoris Bonauenturæ, quæ eſt quaſi quædã regula & inſtitutio omnium pie & ſpiritualiter in Chriſto viuere volẽtiũ. Et diſtinguitur in 25. memorialia, vt inferius patebit. 360. & ſeq.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# PRAEPARATIO

## LECTORIS AD SEquentem librum, *deſumpta ex primo tractatu eiuſdem authoris, lectione tertia.*

QVia igitur quid circa miniſteria ſua ſcire teneantur ſacerdotes dictũ eſt, agè iã et de his quæ circa vitã & mores ſuos agnoſcere debẽt in genere nũc dicamus. Quanquã igitur de hac, quæ ad vitam ſacerdotum pertinet, ſcientia, multa meritò dici poſſunt, breuiter tamẽ ad tria omnia reducemus. Primum, quod in ingreſſu acceſſúque ad ſacerdotalẽ ordinem maximè obſeruandum eſt, ſcilicet rectitudo intentionis, & præſumptionis repreſsio. Secundum, quod in ipſa executione

*Tria ſũt ſacerdotibus neceſſaria.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& exercitio ordinum præcipuè eſt cōſiderandū, mundicia cordis & ab omni, maximè mortali peccato, perpetua animæ præſeruatio. Tertium denique, quod ſequatur iam hæc omnia, & vltimò curetur, eſt infirmitatis propriæ & imperfectionis vera cognitio.

Hæc tria tradit nobis ſanctiſsimus ille pontifex Gregorius in libro ſuo Curæ paſtoralis, quem omnibus de hac materia ſcriptis quos vidimus, meritò præponimus, & iudicamus primò omniū legendum eſſe diligenter à cunctis qui cupiūt inſtitui rectè ad ſacerdotalia officia. Ille igitur ſtatim in principio quatuor conſideranda proponit, quæ quatuor partibus illius libri pertractat: in quibus, quāuis præcipuè de Epiſcopis loquatur, tamen cæteros etiā inſtruit. Ex illis igitur vnū ad eam pertinet ſcientiam, de qua ſuperiori lectione diximus: reliqua tria ad eam de qua nunc agimus morum ſcientiam. Sed

ipſum iam audiamus. Ad culmẽ, inquit, regiminis conſiderandũ eſt qualiter quis veniat. En primùm, de acceſſu ſcilicet & ingreſſu. Sequitur: Et rectè veniens qualiter viuat: hoc eſt ſecundum, de mundicia ſcilicet vitæ in ſacrorum ordinum exercitatione. Addit: Et bene viuens qualiter doceat: hoc ad ſcientiam, de qua dictũ eſt, pertinet. Sequitur quartum. Et rectè docens infirmitatem ſuam, quanta conſideratiõe cognoſcat: de quibus certè ſufficeret ſi rectè expenderetur ſupra dicti libri lectio. Verùm vt imbecillioribus conſulamus, illum ſequentes, conabimur quædam fuſius & hic, & in ſingulorum tractatione explicare. In acceſſu igitur ad ſacerdotium meritò rectitudo intentionis primò ſeruanda eſt: nam hæc in omnibus bonis operibus neceſſaria eſt, ſine qua nullũ eſt bonũ opus. Rectæ verò intentioni tria opponuntur: intẽtio videlicet mala, prępo

*Volenti initiari ſacris recta intẽtio eſt neceſſaria.*

ſtera ſiue inordinata, ſubdola & fallax: quæ b. Gregorius eo loco oſtendit, de quibus breuiter ſequẽtia notentur.

*Triplex intentio non recta volẽtis ſacris initiari.*

Primum: Intentio mala, cùm ſcilicet intentione mali alicuius cõſequendi ad ſacerdotium acceditur, non ſolùm ipſam ſacerdotij ſuſceptionem malam reddit & ſacrilegam, ſed proculdubiò omnia ſequentia opera maculat, quouſq; tandẽ illa purgetur, & in meli⁹ cõmutetur. De hac exponit Auguſtinus illud Euangelij: Si oculus tuus fuerit nequã, totũ corpus tuum tenebroſum erit. Meritò enĩ intentio oculus dicitur, quòd illa cætera omnia dirigat, in ipſũ ſcopum & finem operis conſiderans & intuens.

*Mat. 6.*

Secundũ: Intentio præpoſtera in ſacerdotij ſuſceptione, & maximè in animarum cura ſubeunda, cùm ſcilicet propter honorem gradus, vel temporalium aut abũdantiam aut ſufficientiam ſacerdotium ſuſcipitur. Eſt autem hoc

mor

mortale & graue peccatum, aut certè illi proximum, & in apertum periculum & diſcrimen ſalutis trahens hominem. Hoc beat⁹ Gregori⁹ 1.cap.illius libri ſatis oſtendit,& ſpecialius probat beat. Thomas in quæſtio.185.art.1.ſecunda ſecundæ, de Epiſcopatu quidem loquens,ſed eſt eadem ratio in ceteris:ad quod ſufficere debent Euangelij illa loca,in quib⁹ appetitus iſte reprehenditur: Amant primos accubitus in coenis, & primas cathedras in Synagogis. *Mat.23.* Eſt etiam ad hoc apertiſsima ratio,Nam finis proculdubiò preponitur medijs, & pre illis amatur ,nec plus quæritur in medijs quàm quod fini ſufficiat. Qui igitur ſacerdos fit ob honorem ,aut diuitias,primò magis illas amat quàm ſpiritualia,quæ ſumma peruerſitas eſt,& proculdubiò mortalis:& neceſſe eſt,vt honore vel diuitijs acquiſitis , contemnat alia.Non hic damnamus mortalis peccati omnes motus humanę

infir

infirmitatis. In his enim, modò deliberatio volũtatis nõ adiungatur, magis ſunt neceſsitatis cuiuſdã humanæ lapſus, ſine quib' vix viuitur etiã à ſanctis, quàm grauia peccata. Cæterùm ſi quis dixerit fieri poſſe, vt ita aliquis volũtate certa & deliberata propter diuitias aut honorem ſacerdos fiat, proponens tamen implere quæ neceſſaria ſunt ſacerdotalis ordinis, atq; ideo fortaſsis hic non mortaliter peccabit, nec illa finis eſſent dicenda ſacerdotij, ſed magis mouentia atque excitantia animum, non contradicimus, nec anxiè volumus peccati mortalis damnare ſemper, aut iudicare intentionis humanæ occultum maximè proximorum, cũ nec Paulus propriæ conſcientiæ ſecreta iudicet. Satis ſit vt hoc intelligamus fugiendũ, & quantò quis longius ab hoc appetitu fuerit, tantò purius ſe putet accedere: & quantò propius huic adhęſerit, tantũ intelligat ſe & à digni

ta

tate ſacerdotij alienum, & in eo gradu verſari cum diſcrimine ſalutis, q cũ ſanctus ſit, nõ niſi ſanctè ſuſcipiendus eſt.

Tertium. Subdola & fallax intentio, de qua Gregor. 9. capite, primi illi⁹ libri inquit, quod mẽs quãdoque ſibijpſi mẽtitur, & de bono opere fingit ſe amare quod non amat, non minus peccatum eſt, quàm ipſa mala, aut præpoſtera intẽtio, ſed grauius & periculoſius propter fallaciam & dolum, quo Deus maximè offenditur, & ſi non irridetur, vt Paulus inquit, & homo ſibi ſe maximè abſcõdit, cùm ſpeciem prætẽdit ſanctitatis. Eſt itaq; hoc fugiendũ nouiſsimorũ temporum malũ, vt Paulus admonet: Inſtabũt tempora periculoſa: erunt homines amantes ſeipſos, cupidi, elati, & poſt cætera inquit: Speciem quidem ſanctitatis habẽtes, virtutem autem eius abnegantes. Quod valde pertimeſcẽdum eſt, & curandũ, ne intentio ſit dupla 2. Tim. 3.

& fallax, ſed ſimplex. Hoc eſt
Luc. 11. enim illud Euãgelij: Si oculus tu⁹
fuerit ſimplex &c. Vnum aſpi-
ciamus, in illud tendamus, Deum
ſcilicet: reliqua adijcientur, inquit
Chriſtus in euãgelio. Id non per-
functoriè fiat & in ſpeciem tantũ,
ſed diſcutiamus intentionem no-
Mat. 6. ſtram, ne nobis conueniat illud
Euangelij: Si lumẽ quod in te eſt
tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quãtę
erunt? Lumen intentio eſſe debe-
ret: ſi illa eſt obſcura, omnia erũt
tenebræ. Non deſunt ſigna vnde
intentio agnoſci poſsit, cùm ſe co
natur abſcondere, de quibus aliâs.
Nunc ſatis ſit illud Fulgentij in
Homilia de Confeſsoribus ſan-
ctè & eleganter dictum: Vis noſ-
ſe vbi eſt theſaurus tuus? attende
quid ames: vis noſſe quid amas?
attẽde quid cogites: hoc eſt enim:
vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt &
cor tuum. Hæc de intentione.
Iam de præſumptione fugienda
dicendum, de qua hæc certa ſta-
tuatur propoſitio.

Sa-

Sacerdotium cum animarum cura non ſine præſumptione graui & periculoſa appeti poteſt. Hanc & Gregorius eo libro, & b. Thomas ſupradicto art. probant: & plena eſt ſcriptura ſacra, & ſanctorum doctrina reprehenſionis huius: & apertiſsima ratio oſtendit. Id enim quod ſine magno adiutorio diuinæ gratiæ, et ſine magno munere ſanctitatis, et charitatis fieri rectè nõ poteſt, à nullo eſt aggrediendũ, niſi cui imponitur: talis verò eſt cura animarum. Eſt itaque in his quę impoſita ſuſcipienda ſunt propter charitatem & obedientiam, non verò ambienda. Quod illud Pauli apertiſsimè teſtatur: Nemo ſibi aſſumat honorẽ, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit vt pontifex fieret. Quẽ non hoc verbũ & exẽplũ Chriſti deterreat? Inueniri fortè poterunt caſus, vbi vel propter neceſsitatẽ vel charitatem hoc appeteretur, ſed

*Præſumptuoſum & periculoſum adpetere curã animarum.*

Ad He. 5

ſed nos certè id rarò putamus fie ri poſſe iuxta patrum doctrinã. Eſt itaque hic appetit⁹ regulariter mortale peccatum: appetitus inquam firmus, deliberatus, & certus, quo hæc quæruntur, petuntur, & exiguntur. Cùm verò hæc deſideria inſurgentia cõprimuntur, aut certè ſuperioris regulæ ſubijciuntur, nihilq; agitur vt ille trahatur, vel vt aliter quã iuſtè operetur, infirmitates ſunt humanæ, fugiendæ tamen. Hæc itaq; pertinent ad ingreſſũ ſacerdotij. Iam de his quæ ad exercitationem ſpectant.

*Quanta mũdicia & puritas vitæ neceſſaria in executione Sacerdotij.*

Diximus magnam mundiciã & puritatem vitæ neceſſariam in executione Sacerdotij: id iam explicandum. Sanctitas miniſteriorum & actuum ſacerdotaliũ requirit proculdubiò ſanctitatem in miniſtro. Sunt enim illa talia, vt nec pollui poſsint nec violari: ſed qui immundus illa exercet, quantum in ipſo eſt contaminat. Quare inquit Diony. 1.

Cap.

Cap. Eccleſi. Hiera. immundis nec tangere ſymbola fas eſſe: vocat verò ſymbola ſacramenta. Imò & Deum ipſum irridere & contemnere dicit in epiſtola ad Demophilum, qui talia agit. Maledicam, inquit Dominus per Prophetam, benedictionibus veſtris. Orationes enim, & reliqua immundorum Sacerdotum opera, quantum ex illis eſt, magis iram prouocant, vt Gregorius etiam dicit. Vbi conſiderandum poſteriores doctores, qui ſpecialia magis tractant de hac re, diuerſimodè locutos eſſe. Sunt qui putent eum qui in peccato exercet actus quoſcunque miniſterij Eccleſiaſtici, videlicet ordinis, etiam cuiuſcunque minoris ordinis, aut certè Iuriſdictiōis, mortaliter peccare: quod b. Tho. in 4 dicit, & alijs etiam locis: quod certè ſatis rationi videtur conſonum: exhibet enim ſe Chriſti & Eccleſiæ miniſtrum qui actus illos exercet: vnde ſe illi nōcō-

*Mal. 2.*

*diſt. 5. q. 2. a2. 1. et diſt. 24. q. 1. ar. 3.*

for

formans quantum in ſe eſt pro-culdubiò eis infert contumeliam & aufert etiam quantum in ipſo eſt, non modicum fructum ani-mabus ipſis quem ex eius deuo-tione conſequi poſſent. Iuxta quam ſententiam, qui in pecca-to mortali eſt, & perſoluit diui-num officium, aut Sacramentum quodcunque confert, immò dū-taxat contingit, & denique cuiuſ cunque ordinis actum, vt mini-ſter, exercet, peccat mortaliter: ſicut etiā prælatus aut corrigens aut puniens ſubditum. Alij verò, quibus nimis videtur hoc durū, tunc duntaxat putant mortali-ter peccari à miniſtro, cùm Sa-cramenta diſpenſat, aut propri-um aliquem actum ſacro depu-tatum Ordini exercet vt mini-ſter. Et hoc b. Thomas apertè aſ ſerit, iam doctior effectus, in ter-tia parte ſummæ. Itaq; multi ſe-cundum modum excipiendi ſūt actus, in quibus non peccatur ab immundo. Secundum tamen

omnes

omnes ( quod certiſsimum eſſe debet ) in omni adminiſtratione Sacramenti ſiue contactu, qui proprius eſt miniſtris, peccat mortaliter immundus. Vnde & prædicans, & baptiſans cum ſolemnitate, vel tantum geſtans venerabile ſacramentum, grauiſsimo ſacrilegio peccat, non verò Baptiſans in neceſsitate vt priuatus: de quo latius aliàs dicendum, ſed nunc propoſito hoc ſatis ſit. Iam ex hoc ita colligamus. Si hæc in peccato exercere peccatum eſt, ad quæ tamen exercenda ſemper paratus debet eſſe ſacerdos, maximè curatus, & frequentiſsimè occurrunt caſus in quibus facienda ſunt, grauiſsimum eſt periculum exiſtentium in peccato. Itaque dicamus hîc, quod Siricius Papa & Innocentius eodem ore dicunt: Si ſacerdotes veteris legis, cùm illa miniſteria exercebant, & à conſortio vxorum, & ab omni cura rei familiaris ſequeſtrati in templo permanebāt: quid

Epiſt. 1. c. 7. 1. & 2. c. 9. & 3. cap. 1.

quid Sacerdotes nouę legis actu-
1.Cor.7. ri ſunt, qui ſua miniſteria nun-
quam non exercent? Si Paulus
iјs qui iuncti ſunt matrimonio
indicit ad tempus continentiam,
vt orationi vacent: quales illi eſ-
ſe debent, quibus pro tota Eccle
ſia ſemper orandum eſt? Luthe-
rani deteſtantur hos duos ponti-
fices ſanctiſsimos, quos dicũt hac
ratione legem cælibatus indixiſ-
ſe: ſed mentiuntur planè. Extant
ante ipſos apertiſsima teſtimo-
nia Conciliorum & doctorum,
ab ipſis etiam Apoſtolis, de hac
lege cælibatus indicta: de qua re,
quia poſtea dicturi ſumus, nunc
hoc aſſumamus, propoſito no-
ſtro conueniens: quàm debeant
à peccatis mortalibus immunes
eſſe Sacerdotes, quos etiam ab
aliôqui licitis ſancti illi Põtifices,
imò tam aperta ratio docet me-
ritò abſtinere. Huc pertinent
cuncta illa, quæ in ſacris Conci-
lijs & Canonibus Sacerdotibus
vel interdicuntur, vel præcipiun

tur

tur ad ſplẽdorẽ ſui ordinis dignè ſeruandum: quæ etiã tenentur & ſcire & ſeruare, vt in ſpeciali poſtea dicendum eſt.

Iam ad quartum, quod vltimò diximus requiri quaſi poſt omnia Sacerdotij officia, propriæ ſcilicet infirmitatis diligens circumſpectio & certa cognitio. De hoc itaque vnum duntaxat adnotemus: quòd cognitio imperfectionis & infirmitatis proprię, etſi omnibus Chriſtianis ſummè neceſſaria ſit, ſacerdotibus tamẽ præ cæteris omnibus eò magis, quò maiora exercent in eccleſia. Hoc beatus Gregorius in 4. parte ſui paſtoralis, his maximè qui docent obſeruandum admonet: ne dum alijs, inquit, proſunt, inde ſibi noceant dum ſuperbiunt. Nobis verò circa hæc, quò attentius conſiderentur, quandoquidem ſunt omnibus valde neceſſaria, nonnihil immorari libet. Quòd igitur oĩ Chriſtiano ſummè ſit neceſſaria propriæ infirmi

*Quã neceſſaria ſit ſacerdoti propriæ infirmitatis & ĩperfectionis cognitio*

tatis

tatis cognitio, hinc patet: quoniam, quum reuerà in multis offendamus omnes, & omnes iuſtitiæ noſtræ vt pannus menſtruatæ ſint, non aliud nobis eſt refugium, quàm in noſtri humili cognitione. Quod Chriſtus Dominus docet: Non eſt, inquiens, opus medico valentibus, ſed malè habentibus. Qui ergo ſuam non agnoſcit infirmitatem, huic Chriſtus non eſt medicus. Bene itaque admonent, qui nullam, quātumuis magnam virtutem dicunt ſine vera cognitione imperfecti ſui alicuius eſſe momenti apud Deum. Iam tantò hoc ſacerdotibus magis conuenit, quātò propinquiores ſunt Deo: Sanctificabor, inquit ipſe, in his qui appropinquant mihi. Cæterùm nulla, vt dictum eſt, ſanctificatio præter hāc ſui humilē cognitionem vera eſt. Meritò itaque Paulus inquit de ſacerdote: Quoniam & ipſe circumdatus infirmitate: propterea debet ſicut pro populo

*Math. 9.* *Leu. 10.* *Hebr. 5.*

lo, ita & pro ſeipſo offerre pro peccatis. Nihil magis in ſecuritatem noxiam, & in timoris Dei obliuionē, hominē ducit, quàm inter quotidiana ſanctitatis officia infirmitatis ſuæ inconſideratio, propter quam aſsiduè & quotidie celebrantes & orantes videmus, ſicuti in pſalmo eſt, Tãquam vulneratos dormientes in ſepulchris, quorum non eſt memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt, traditos videlicet in reprobum ſenſum, & miſerabilem tepiditatem. Hæc igitur ſint nobis in hoc principio propoſita, quaſi totius operis quædã inſinuatio, & veluti lineamēta quędam quę ſequamur. Hoc enim toto opere agendum eſt, vt quæ diximus ſcienda eſſe ſacerdotibus doceamus: idque eo ipſo ordine quo propoſita ſunt, iuxta quē in his quæ ad miniſteria ſacerdotalia pertinent (quæ primò docēda propoſuimus) primum locū Sacramenta tenent, & meritò quidē

quidem nam circa hæc præcipuè eſt tota ſacerdotalis functio, imò & actiones eccleſiaſticæ magna ex parte circa ea verſantur. De his igitur iam agamus.

*Poſſe hunc libellum D. Petri de Soto abſque periculo imprimi, & legi cũ fructu, iudicaui Petrus Curtius, paſtor Eccleſiæ ſancti Petri Louanienſis, die tertia Decembris.*

*Anno.* 1561.

*Petrus Curtius*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# DE INSTITVtione ſacerdotum, quò ad mores eorum & reliquam vitam.

## ¶ DE PECCATORVM diſcrimine, & ratione medendi vulneribus animæ, quatenus Parochis neceſſaria ſunt.

# Lectio Prima.

*De ratione & voluntate, primis actionum noſtrarum principijs.*

POST ſacramẽta (vt ex his quæ in principio hui⁹ laboris noſtri quẽ pro inſtituendis ſacerdotibus, præcipuè parochis ſuſcepimus

*Præter ſacramẽtorũ notitiam.*

*tria ſūt parochis cognitu neceſſaria.*

mus, dicta ſunt, patet) tria ſuperſunt neceſſaria cognitu illis: diſcrimen peccatorum, leuiorū ſcilicet à grauioribus: ratio adhibēdi medelam: & cōmunia quæ ad fidē & mores pertinent. Ex quibus quæ fidei ſunt & ad omnes pertinent (& quæ idcirco per eos proponenda ſunt omnibus) non eſt opus hîc tradi: ex catechiſmis peti poſſunt, quantum ſufficit ſacerdotibus inferioribus: quibus in hac parte ſatis eſt, ab epiſcopis tradita retinere & docere. Epiſcoporum verò munus eſt, aduigilare, & ſiue erroribus, ſiue peccatorum ſcandalis inſurgentibus occurrere, & ad hoc agendū exhortari ac inſtruere inferiores miniſtros per frequentes literas, quos verbo nō poſſunt. Poſt hęc igitur quæ ad fidem pertinēt, reliqua omnia ſunt morum, & ſimul in hac ſecunda parte tradenda. Omnia enim quæ ad mores pertinēt, in doctrina quæ de diſcretione peccatorum, & de ratione

tione illis medendi eſt, continē-
tur: quæ ſunt à nobis non perfe-
ctè & plenè, ſed in vniuerſali, &
pro captu ac neceſsitate ſacerdo
tum quos inſtituimus (quantum
Deus dederit) explicanda.

Vbi illud eſt ante omnia ſta-
tuendum: Sacerdotū eſſe de pec
catis multò altius quàm priuati
Chriſtiani poſsint, iudicare: & tā
quam ex altiori ſpecula profun-
dius ſingula perueſtigare, quę ab
inferioribus fiunt. His enim ſa-
tis erit, ſi vt infirmi poſsint do-
lores ac vulnerum loca indicare:
illis verò neceſſe eſt, vt tanquam
ſpirituales medici, ſciant inquire-
re radices, & morborum cauſas.
Ad quod probādum cùm & ini-
tio huius operis, & in ſacramen-
tis poenitentiæ, & ordinis expli-
candis patrum teſtimonia addu-
xerimus: nunc ſatis ſit ad memo
riam reuocare Chryſoſtomū in
ſecundo libro de ſacerdotio: vbi
quanquam de epiſcopis pręcipuè
agat, de omnibus tamen ſpiritua-

*Sacerdotes pleniorem notitiā peccatorum debēt habere quam populus.*

libus iudicibus inquit, ſumma diligentia, & ſexcentis (vt aiunt) oculis ſacerdotem vti oportere, vt habitum peccatoris agnoſcat. Et Innocentius tertius, conciliúmq; Lateranenſe in Canone illo, Omnis vtriuſq; ſexus. de poenit. & remiſſ. Sacerdos (ait) ſit diſcretus & cautus, vt more periti medici &c. quæ ibi legenda ſunt. Sed & illius meminiſſe oportet, quod in Leuitico à vino etiam et his quæ inebriare poſſunt, abſtinere iubet Deus ſacerdotes, quũ ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonij: vt habeant (inquit) ſciẽtiam diſcernendi inter ſacrum & prophanum, inter pollutũ & mũdum. Vbi ſatis oſtenditur nõ ſola lectione, ſed oratione etiã, abſtinentia & puritate vitæ, quærendam hanc ſcientiam diſcernẽdorum peccatorum, quæ multò altior eſt, quàm quę neceſſaria erat veteris legis ſacerdotibus. Hęc in principio hîc dicta ſint, vt tantus torpor, tantáque obliuio, quanta

Leu. 10.

hodie dominatur in eccleſia, ex-
cutiatur à nobis. Hæc enim eſſe
non poteſt ſine magna pernitie
ſalutis animarum, iuxta illud Ser- Mat. 15.
uatoris: Si cæcus cæco, &cæ. Si Ibid. 6.
lumẽ quod in te eſt tenebræ &c.
Vt itaque hæc, vt dignum eſt, à
ſacerdotibus cognoſci poſsint: de
cauſis actuum noſtrorum, eo-
rúmq; natura & ratiõe ſunt pau-
ca præmittenda. Inter quæ primũ
ſit de ipſis animę noſtræ poten-
tijs & facultatibus, à quibus vi-
delicet actus humani fiunt. Con-
ſideratio enim hæc potentiarum
& virium animę in hac materia,
non noſtra tantùm & ſcholaſti-
corum theologorum & philoſo-
phorum eſt, ſed grauium illorũ
& antiquorum theologorũ, Gre-
gorij ſcilicet Niſſeni in libro de
homine, & Damaſceni in 2. or-
tho. fi. & Auguſt. in libro de Tri-
nit. quamuis calumnientur hæ-
retici quòd politicam tãtum &
naturalem philoſophiam docea-
mus. Quid enim mirum, ſi doce-

amus. Quid enim mirum, ſi do-
cemus quæ neceſſariò præſuppo
nit vera theologia, & ex quibus
pendet vera cognitio noſtri? Niſi
putent gratiam, naturam exclu-
dere, & ei contrariam eſſe. Re-
uera boni & mali mores, pecca
ta & bona opera magna ex par-
te natura ipſa, & lumine illo vul-
tus Dei, quod ſignatum eſſe ſu-
per nos dicit pſalmus manifeſtā-
tur, præter pauca illa, quæ pro-
pria ſunt Chriſtianæ fidei. Ideó-
que naturæ ipſius, & virium eiꝰ
(intellectus ſ. & appetitus, & re-
liquarum omnium) cognitio ma
gnoperè conducit ad rectè iudi-
candum de bono & malo in mo
ribus: quod cùm neceſſarium ſit
ſpiritualibus iudicibus, ſacramē-
ti ſ. poenitentiæ miniſtris, neceſ-
ſarium inquam, vt non vulgari-
ter, nec ex ſententia plebis, ſed
ex vera ratione & fide, atque ſcri
ptura ſacra iudicare poſsint: om-
nino credimꝰ neceſſaria eſſe prin
cipia hæc doctrinæ moralis, quæ

nos hîc paucis,& ſine vlla cõtentiõe,ſed ſimpliciter,q̃tũ ad noſtri & ad noſtrorũ operũ cognitionẽ pertinet,conabimur tradere.

Prima igitur & ſuprema animæ noſtræ potentia ſeu facultas eſt,quam rationem ſiue intelle-ctum vocant, qua primò & maximè à cæteris animantibus diſtinguimur,& appropinquamus angelis atque ipſi Deo : quæ non aliud eſt,quàm lumen quoddam, quo illa à nobis cognoſci & cogitari poſſunt, quæ ſenſus omnes & captum reliquorum omnium animalium excedunt.Sicut enim ſenſibus exterioribus,oculis, auribus,& cæteris occultioribus & interioribus, quamuis corporeis viribus animæ, commoda & incommoda corporis , pulchritudinem & deformitatem, dulcedinem & amaritudinem,præſentia noſcim⁹, præterita retinemus,futura cogitamus & nos & iumẽta: ſicut etiam interiori alia ſed corporea virtute quędã percipimus, quæ

*Suprema animæ potẽtia eſt ratio.*

*Cõparatur ratio cum ſenſibus.*

quæ nullo exteriori ſenſu percipi poſſunt: vt amicitiam & odium, quæ experientia cognoſcim⁹ animalia etiã cogitare, ſicut id quod vtile eſt & generationi & educationi prolis: ita etiam multo altiori, ſed omnino incorporea atque ſpirituali virtute cogitamus & agnoſcimus homines ſpiritualem honeſtatem et turpitudinem vitiorum ac virtutum. Inquirimus etiã occultas rerum omniũ cauſas, & attingimus vſq; ad dominum ipſum, & meditamur æternitatem ac cœleſtia: & in ipſis etiam rebus corporeis, non tantum quæ naturę quodam inſtinctu nobis imprimuntur, cogitamus aut retinemus, ſicut cætera animalia, ſed etiam inquirimus illa cûm nundũ attigimus, & oblita rurſum ad memoriam reuocamus, & ex illis ratiocinamur comparantes & coniungentes alia alijs, vt Auguſt. inquit 12. de Trin. in prin. c. Hanc potentiam diuiſerunt & philoſophi & theologi

*Diuiſio intellectus.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Theoreticus intellect⁹.*

logi in intellectum practicum, & ſpeculatiuum. Speculatiuum vocantes illum, qui ſolùm cõtemplandis ac cognoſcẽdis rebus intendit, quæ à nobis operandæ nõ ſunt. Ad quã partem animę pertinent omnes naturales ſcientiæ de cœlo & motibus, de Deo ipſo & Angelis. Practicus eſt, qui reb⁹ agendis à nobis tantùm intentus eſt: ad quẽ maximè pertinet pars illa moralis, quæ de virtutibus agit & vitijs, & ab Ariſto. plurib⁹ libris, atque à cęteris philoſophis, & theologis etiam tractatur: & hui⁹ partis eſt totius vitæ noſtrę gubernatio, & diſpoſitio agẽdorum omnium. Non quòd diuerſę ſint iſtæ potentiæ, ſed eiuſdẽ diuerſi act⁹, vt ex ipſo philoſopho b. Thom. inquit in prima parte.

*Practicus intellectus.*

*quæſ. 79. a. 11.*

Diuiſit eodem modo atque ratione Auguſt. hanc partem 12. li. de trin. in rationem ſuperiorẽ & inferiorem: non quòd ſint diuerſæ potentiæ, ſed eiuſdem diuerſi actus. Quam diſtinctionẽ Au-

*Ratio ſuperior et inferior.*

guſtin.(in ſeipſa quidem conue-
nientiſsimam) magno ingenio
Ratio ſuperior. adinuenit, & myſtico ſenſui atq;
morali illius loci, in quo de pri-
mo peccato, ſuggerēte ſerpente,
inuitante muliere, & cōſentien-
te viro, perpetrato loquitur ſcri
ptura, coaptauit.

Eſt igitur apud illum ſuperior
ratio tanquam vir: ſupremum vi
delicet quod eſt in homine: ratio
ipſa inſpiciendis ſpiritualibus &
æternis rationibus, & conſulen-
dis illis, & ex eis gubernandæ vi
tæ deducendis regulis intenta.
Sunt enim æternæ quædam ra-
tiones, ſuperiores quidem omni
intellectu, communes tamen o-
mnibus, quibus vita noſtra dire-
cta errare non poſsit (de quibus
paulò inferius latius agem⁹) qua-
lis hæc eſt, de qua dominus in e-
uangelio: Quæcunque vultis vt
Ratio inferior. faciāt vobis homines &c. Ratio
verò inferior eſt intēta rationi-
bus temporalibus & corporeis:
ſicut cū cogitat, quid quieti cor-
poris

poris & paci conducat, quid ho⸗neſtati & famæ. Hęc enim ad par⸗tem intellectiuam pertinēt, ſed tanto inferiora ſunt ſpiritualibus illis & ęternis, vt his intenta no⸗ſtra ratio tantū diſtet à ſeipſa in⸗tenta illis; quantum mulier à vi⸗ro in ipſa creatione: quæ quidem ad eandem pertinet naturā, & ex ipſo viro deſumpta eſt, illi tamē in gubernatiōe ſubdita: ſic & infe rior ratio ad ipſam pertinet natu ram intellectus: ſed quia inferius quid & ab eo deriuatū, illi ſubdi⸗ta eſſe debet, vt ratio de tempo⸗ralibus per rationem, quę de ſpi⸗ritualibus & æternis eſt, guberne tur. Hęc igitur de iſta potētia in⸗tellectus ſint nobis diſtincta.

Illā ſequitur altera eidē coniun cta atque germana, quam ratio⸗nalem appetitum ſeu voluntatē dicimus; quæ nō aliud eſt, quàm quædam inclinatio & propen⸗ſio, qua proſequimur & tendi⸗mus interiori animo in bona at⸗que conuenientia, quæ per ra⸗ *De volū tate.*

tionem

tionem cognita ſunt. Quod cum experientia ipſa in nobis videamus (afficimur enim ſpiritualib⁹ illis bonis, quæ per rationem agnoſcimus) ratio etiam eius facile reddi poteſt. Cùm enim qualibet formam naturalem conſequatur inclinatio & propenſio in ea, quæ ſibi conuenientia ſunt, vt grauitas lapidis & leuitas ignis: naturæ verò virtutem habentes cognoſcendi induant quodammodo per cognitionē formas & naturas earum rerum quas cognoſcunt: cognitionem etiam ſequitur inclinatio conueniens illi, in ea ſcilicet quæ cognita ſunt: quæ in brutis animalibus, & in nobis, quatenus cum illis conuenimus, & intenti ſumus cognitioni ſenſuum, vocatur appetitus ſenſitiuus, ſicut prior ille appetitus naturalis. Cognitionem etiam intellectiuam, neceſſe eſt, vt conſequatur potētia & inclinatio, qua conuenientia naturæ bona amētur, & mala odio habeātur. Quare hæc

re hæc virtus omnino ſpiritualis & incorporea eſt, ſicut intellect⁹, & ad ſupremã hanc hominis partem pertinet, & vtraq; ſimul vocatur ratio, cuius imperio cætera quæ in homine ſunt, ſubdita eſſe debere dicimus.

In his itaque duabus potentijs eſt dignitas illa diuinę imaginis, & regale atque diuinum prorſus imperium, de quibus dictũ eſt: Faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtram & cæt. vt præſit piſcibus maris & cæt. Eſt tamen hoc loco diligẽter annotandum, quis ſit ordo & habitudo earum ad ſe inuicem. Habet enim ſe ratio vt conſultrix, atque proponens voluntati ea in quæ tendere aut poſsit aut debeat: vnde nec effectiuè eadẽ mouet aut impellit, ſed tãtum agit, ſicut homo qui proponit aut ſuadet aliquid, qui non propterea in volũtatem ipſam operatur, aut in eam quicquam imprimit. Voluntas vero motrix eſt atq; efficax cauſa co

*Cõparãtur inter ſe intellect⁹ & volũtas eorumque operationes.*

ſa cogitationis ipſius, atque effe-
ctiuè, operatur & mouet ipſum
intellectum, ſicut membra, aliáſ-
que animę vires. Eſt enim ipſa
verè in hoc animæ regno domi-
natrix, ſine qua nulla operatio
intellectus, ſicut nec aliarum vi-
rium illi ſubditarum efficax eſt.
Nec tamen prætereundum, quòd
hinc non ſequitur vlla impoſsibi
litas, aut circuitus repugnãs, quo-
minus actus rationis & volunta
tis fieri poſsint, vt videri poterat
cùm dictum ſit voluntatem non
poſſe velle, quod ratio non pro-
poſuerit & cogitauerit: nec ra-
tionem cogitare poſſe, quod vo-
luntas non velit. Eſt enim prin-
cipium in cognatione aliqua vel
à Deo, vel ab Angelis, vel ab ali-
qua cauſa naturali immiſſa, quam
in poteſtate volũtatis eſt, aut cõ
tinuare, aut reijcere: atque ita vo
luntaria eſt prior illa cogitatio,
etſi non præceſſerit voluntas: ſa
tis eſt quòd illa nõ repugnet, at-
que ita conſentit.

LECTIO

# Lect. ſecunda.

## DE ACTIBVS RATIONIS *practicæ & voluntatis.*

IAM de actibus harum potentiarum quatenus morali noſtro propoſito conueniunt, breuiter dicendũ: quomodo videlicet ratio practica dirigat voluntatem, & quomodo ipſa prorumpat in actum, atque progrediatur in ſuis operationibus.

*Quomodo intellectus & volũtas inchoẽt actiones & in eis progrediantur.*

Illud ergo ſtatuatur primùm: voluntatem noſtram (quæ in bonum, vt diximus, rationis tẽdit) duo reſpicere, ſcilicet finẽ, & media. Sic & intellectus ipſe practicus, qui illam dirigit, vtrumque conſiderat: finem tanquam principium, media tanquam concluſiones inde deductas. Vnde principia hæc & fines, & actus circa ipſa, certa ſunt, ac natura indita & rationi & voluntati: media ve

rò & concluſiones nec certa & eadem ſunt, nec in ipſa eodẽ modo & ratione ferimur: ſed variè atque diuerſimodè. Cùm enim natura rationis & voluntatis noſtrę mutabilis ſit: nõ ſolùm in diuerſa & contraria, ſed nonnunquam in eadem obiecta contrario modo fertur: quod in Deo omnino non eſt, apud quem nulla eſt viciſsitudinis obumbratio: ſed nec in ipſis angelis eſt tanta mutabilitas, quanquã et ipſi non ſimul omnia agnoſcãt & velint. Quod ideo dicim⁹, vt in hoc prĩcipio mutabilitatem animæ noſtræ in ſuis proprijs operibus agnoſcam⁹, vnde nõ minima ſunt circa mores in nobis pericula & incommoda. Cúm itaque mutabilis ſit ratio & voluntas noſtra: natura verò ſemper ita comparatum ſit, vt motus omnis ab immobili aliquo & certo incipiat: indita ſunt certa quędã principia rationi & voluntati noſtræ, atq; fines à quibus ad concluſiones et

me-

media progreſſus fiat.

In ratione itaque practica ſunt quædam certa & immobilia prĩcipia, quę Auguſt. in 2. lib. de lib. arb. vocat prĩcipia & lumina virtutum omnium: & in 12. de Trin. vt ſuperius diximus, rationes ſpirituales & æternas, ac immutabiles, ſicut numerorum rationes. Itaq; vt intellectu ſpeculatiuo certa quædam principia, natura indidit, quæ Philoſophi vocarunt axiomata ſeu dignitates & maximas: vt nihil ſimul eſſe & nõ eſſe: totũ maius eſſe ſua parte: quas null9 negare poteſt: ita et in intellectu practico ſunt certa etiã prĩcipia, quæ non aliud ſunt, quam de finibus humanis certa quædã iudicia: vt beatitudinem eſſe appetendam; ſtudendum ſapientię: iuſtè viuendum: poſthabenda eſſe deteriora meliorib9: æterna & incorruptibilia meliora eſſe corruptibilibus & tẽporalibus: auertendum eſſe animũ à corruptione, & transferendum eſſe ad in-

cor-

*In 1. p. 79. ar. 13 Synderiſis.*

corruptionem. Eiuſmodi iudicium intellectus practici d. Thom. ex Hier. & alijs antiquiorib⁹ ſynderesim vocat: alij apicē & ſublime mentis, quod ſemper inuiolatum manet & incorruptum, quantumuis falſis opinionib. & peruerſis affectib⁹ ſit homo corruptus. Et hæc eſt prior rationis noſtræ practicæ operatio.

*Volūtas naturaliter appetit finē. Velle ītētio & fruitio actus voluntatis.*

Quia verò, vt dictum eſt, voluntas cognata eſt rationi, hūc rationis actum ſequitur in volūtate ſimilis alius actus: naturalis ſcilicet appetit⁹ finis: velle eſſe beatum: velle iuſtè viuere: incorruptionē & æternitatem appetere. Omnia enim illa quæ ratio vt fines proponit voluntati, & vt certa bona, illa naturaliter appetit volūtas: & hic appetitus finis vocatus eſt voluntas, ſiue velle: cōmuni videlicet nomine: ſicut cū in fine iam habito quieſcit, ille actus dicitur fruitio: & cùm in illum per media tendit, dicitur intentio.

Hi

Hi igitur ſunt primi actus in humanæ vitæ progreſſu. Nõ quòd neceſſarium iudicemus explicitè & actu vel à ratione cogitari, appetendam eſſe beatitudinem, vel voluntatem ita eam velle: ſed ſatis eſt, quicquid iudicat ratio appetendum, & quicquid voluntas appetit, vt indutum ratione beatitudinis, ſapientiæ, vel iuſtitiæ &cæt. & appeti, & iudicari appetendum. Vnde in omnibus quæ volumus, ſunt virtute hi finium appetitus: ſicut in omnibus quibus intellectu ſpeculatiuo aſſentimur, priora illa principia virtute continentur: videlicet nihil ſimul eſt & non eſt: cum tamẽ illa actu cogitaſſe explicitè non ſit opus, vt ipſa experientia docet.

Iam quales actiones rationis & voluntatis circa media ſint, conſiderandum. Voluntas ergò efficaciter cupiens finem, mouet etiam rationem efficaci imperio ſuo ad conſultandum: inquirendum ſcilicet, quibus medijs ad

*actiones rationis & volũtatis circa media ad finem.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ad eum perueniri poſsit: & cum plura occurrerint, vt inquiratur, quod eorum ſit cõuenientius: vbi cum intellectus certum iudicium tulerit (quod eſt cõcluſio cõſilij, & cuiuſdam practici diſcurſus) hæc erit prima eius circa illa operatio, quam conſilium vocarunt & Philoſophi, & antiqui illi Theologi.

*Conſilium.*

*Electio.*

Hanc verò ſequitur in voluntate electio: cùm ſcilicet volũtas mediũ illud efficaciter vult, quod ratio conuenientius eſſe iudicauit. Quem actum & alijs nominibus nonnunquam vocarunt: conſenſum videlicet, vel vſum. Certum eſt tamen volũtatẽ poſt finem, quem naturaliter amat, in media tendere liberè & contingenter, iuxta rationis practicę iudicium: atque ideo quãdoque in electione medij peccatur à volũtate, & à ratione etiam erratur. Vnde dixerunt Philoſophi (prout d. Tho. in 1.2. de hoc loquens, dicit) ſyllogiſmum incontinentis

*Conſenſus: vſus.*

*qu. 12. & 41. & 77.*

tis ſiue peccantis, paralogiſmum eſſe: quòd videlicet cum conſultat, primò aſſumit, bona, conuenientia, & ſalubria eſſe appetenda, quaſi maiorem quãdam propoſitionem præmiſſam: deinde cùm aſſumit non vera, ſed apparentia: cogitat, malè quodãmodo ſubſumens. Incontinens enim cũ cogitare deberet fornicationem eſſe malam, & contra Dei legem, atque ideò in interitum ducere: cogitat è cõtrario, illam delectabilem & ſuauem eſſe, atque ita iudicat fornicationem appetendam eſſe.

*Quarũ rerũ cõſultatio & electio.*

Meritò itaque Gregorius Niſ. lib. 5. de homine, c. 4. & 5. & Damaſcenus ca. 27. lib. 2. de orth. fid. conſentaneè etiam Philoſopho, conſilium & electionem non de fine, nec de neceſſarijs & impoſſibilibus, ſed de medijs tantum, quæ in noſtra ſunt poteſtate, & incertum exitum habent eſſe dicunt: propter quod in his non ſolùm libertas, ſed varietas magna

eſt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Quid voluntariũ & violẽtum c.3. lib.5.ca. 24.2.*

eſt in nobis.

Ex quibus omnibus iam vltimò ratio voluntarij oſtenditur. Cùm enim voluntarium à volũtate propriè dicatur: voluntas verò internum principium ſit operationum noſtrarum cognitionem ſequens: rectè Ariſt. in 3. eth. & antiqui illi, Gregorius & Damaſcenus (quos B. Thomas ſequutus eſt in prima 2.) definierunt voluntariũ eſſe, cuius principium eſt in ipſo operante, ſciente ſingula circa que eſt ipſa operatio: quod de circumſtantijs dixerunt, de quibus poſtea. Nunc verò hanc voluntarij rationem ex oppoſito, inuoluntario ſcilicet ita explicant ſupradicti patres. Inuoluntarium enim illud dicitur, quod per violentiam fit, vel per ignorantiam. Violentum verò id dicimus, quòd à principio externo eſt. Voluntarium ergò ab interno oportet eſſe. Ignorantia rurſum opponitur ſcientiæ, ſcientia ergò in volun-

*Voluntario opponitur violentia & ignorantia.*

tario

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tario requiritur: volũtario igitur meritò opponitur violẽtia & ignorãtia. Sed quoniã volũtati in proprio ſuo actu violentia inferri non poteſt (nec enim velle poſſumus, niſi volentes, & à propria volũtate acti) membra verò exteriora cogi poſsint à fortiori (ſicuti cum pedibus & manibus ligatur quis, vt non poſsit progredi & operari) fit, vt ipſis actibus voluntatis non inueniatur violentum. Ignorantia verò ſæpe in eis inuenitur: cùm ſcilicet aliquid ideo volumus, quia ignoramus quid aut quale ſit, vt cùm Iacob ignorauit Liam eſſe pro Rachel ſibi ſuppoſitam. Illud tamen non eſt omittendũ, quòd patres in brutis etiam voluntarium poſuerunt (quod magis propriè ſpontaneũ dici poteſt) & id quidem communi quadam ratione, non vt à voluntate, virtute nobis propria, dicitur: propriè enim in his ſolùm eſt quæ voluntatem habent.

Vnde non tantum vt finis ipſe & media,ſed vt ordo etiam vnius ad alterum apprehēdatur,ad perfectè volūtariū requiritur : quod in cæteris animalibus non eſt,vt beatus Thomas hoc tractans, docet. Bruta enim magis à natura aguntur & imaginatione aliqua ſubitò immiſſa feruntur, quàm iudicio & voluntate. Metus etiā (vt eiſdem locis concluſum eſt) voluntarium non aufert:ſed ſimpliciter,quod metu facimus, voluntariū eſt: vt cùm mercator iactū facit merciū in mare,imminēte tempeſtate:quanquam dicatur ſecundum quid inuoluntarium:mallemus enim non incidiſſe in eam neceſsitatē:ſed ex quo incidimus,abſolutè volumus id facere quod illa poſtulat.

*q. 6.1.2.*

*Metus non facit inuoluntarium.*

LECTIO

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Lectio Tertia.

## DE RELIQVIS OMNIBVS *potentijs humanorum actuum principijs, & præcipue appetitiuis, & earum actibus.*

DVAS prædictas potẽtias, & actiones earum expoſuiſſe ſufficeret, ſi homines tãtum rationales eſſemus: ſed quia communicamus etiam cum brutis animantibus in corpore & ſenſibus, eorúmque officijs: ſunt in nobis alię operatiões, & virtutes, illarũ operationum principia: de quib⁹ etiam breuiter dicendum, quantum morali propoſito conuenit. Igitur cum Grego. Niſſen. & Damaſcen. diſtinguamus pręter has potentias (quæ ſunt ſecundum eſſentiam ſuam rationales, hoc eſt, ipſa ratio, & appetitus eius) duplicis generis alias potentias, quędã enim ſunt (vt illi inquiunt) ra-

*Lib. 4. de homine, ca. 8.*
*De orthodoxa fid. c. 12. lib. 2.*

tionales: quæ ſcilicet ratiõem ſequuntur, & ab ea perſuadentur: quas mox explicabimus. Aliæ ſunt irrationales omnino, quæ nec rationi obediunt, nec perſuaſibiles ſunt: quales ſunt (vt inquiũt illi) pulſatis illa virtus cordis & arteriarum, & nutritiua atque generatiua, cæteræque vegetatiuæ partes. Illę verò quæ rationi participant & ei obediunt, quas rationales diximus, diſtinguuntur à ſancto Thom. & à Philoſopho primo Polit. Nam aliæ ſemper et omnino rationi parẽt: hæc eſt virt⁹ motiua, quæ in mẽbris corporis eſt: vt progreſsiua, quę maximè in pedib⁹ cernitur. Aliæ verò ſunt, quæ nonnunquã repugnãt & feruntur à ſeipſis in ſua propria bona: quare cũ à ratione ab eis auocantur, nõ mox illam ſequuntur, quanquã tandẽ trahi poſsint: & hic eſt appetitus ſenſitiuus. Habet enim ſuũ propriũ motũ in ea quæ ſunt ſenſui delectabilia. Sed (vt experientia vide-

*Quædã potentię aĩæ omnino nõ obediũt rationi.*

1. p. q. 81

*quædam potẽtiæ aĩæ omnino parent rationi, aliæ nonũquã repugnat.*

videmus)ira,quæ vn⁹ horũ motuum eſt, mitigatur cõſideratione, ſicut concupiſcentia & huiuſmodi alij appetitus. Dominatur ergo illis ratio, ſed vt liberis,qui ſibi dimiſsi feruntur in ſua. Virtuti verò motiuæ, & organis ei⁹ dominatur ratio vt ſeruis. Nunquam enim hæc mouentur ſine ratiõe in homine,niſi vbi eſt defectus aliquis naturæ. Quare mẽbra actuum humanorum non tã ſunt principia,quàm inſtrumẽta quædam:nec enim rationem aut voluntatem, vel tantillum mouent, ſed mouentur ab eis ad exteriores operatiões. At verò appetitus non ſolùm repugnat,ſed impedit etiam & trahit rationẽ & voluntatem,vt experiẽtia docet.Idque( vt b. Thomas dicit) multipliciter fit: primò, rationẽ diſtrahendo: Nimium enim alicui affectui appetitus intenta anima; minus efficax eſt ad rectè & ſecundum rationem iudicandum. Deinde & per apertam con

*Appetitus ſenſitiuus.*

*Ratiõis imperiũ in alias aĩæ vires.*

*Appetit⁹ ſenſitiuus non tantũ repugnat, ſed etiã trahit ratiõem & volũtatem.*

*1. 2. qu. 77. art. 1. & 2.*

trarietatem & repugnãtiam . Dũ enim iudicat appetitus ſequendam delectationem aliquam , & nimium ſibi complacet in ea: ratio non ſatis efficax eſt ad rectè circa hoc iudicandum . Demum & immutando corpus ipſum. Sunt enim hi affectus cum corporis immutatione: vt ira cũ ſanguinis accenſione & timor cõtrà. Mutato verò corpore, fit, vt longè aliter homo ſentiat & iudicet : ſicut fameſcens aliter iudicat, quàm ſatur . Propter hæc igitur omnia dictum eſt : qualis quiſque eſt, talis finis ei videtur. Hæc igitur appetitiua virtꝰ, eſt à nobis attentius cõſideranda, quæ in actionibus plurimum valet. Et eò magis, quò conſuetudine facta eſt fortior, & quò magis ſequuntur homines appetitũ quã rationem. Omittamus tamẽ hãc magis ſpeculatiuam quæſtionẽ: an hęc repugnantia ſit naturalis, an ſolùm ex peccato in pœnã à Deo inflicta. Illud certum eſt, ablatum

latũ fuiſſe propter peccatũ ab homine donũ illud originalis iuſtitię, quo fiebat, vt hæc repugnantia auferretur: & rurſus, hanc eſſe de qua Paulus inquit: Caro concupiſcit aduerſum ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem & cæt. Item: Video aliam legem & cæt. Appetitus igitur hic (quem ſenſualitatem vocant) eſt propenſio ſenſitiuæ naturæ in bona delectabilia ſenſui: vt voluntas fertur in ea, quæ rationi conueniunt. *Gal. 5.* *Rom. 7.*

Diuiditur verò à priſcis illis theologis, atque etiam philoſophis, in concupiſcibilem, & iraſcibilem. Quia enim natura, ſicut dedit rebus omnibus, ad ea quæ ſibi conueniunt quærenda inclinationem quandam: ita etiã dedit vt inſurgerent in contraria & impedientia. Sicut lapis, quanta virtute deſcendit, tanta repellit omnia impediẽtia deſcenſum. Ideo animalibus non ſolùm dedit in bona conuenientia ſenſib⁹ inclinationem, quam dicimus cõ- *Duplex appetitus ſenſitiuus, ſcilicet concupiſcendi & iraſcendi.*

cupiſcibilem:ſed etiam qua inſurgerent in contraria & impedientia. quam vocarunt iraſcibilẽ, ex qua ſunt pugnæ & contentiones propter delectationes in animalibus. Et quia hæc ſæpe contraria ſunt (quod enim fugit concupiſcibilis, ſcilicet dolores, aggreditur iraſcibilis, quoniam inſurgit in alterum) duas dixerũt virtutes, & non vnam.

*De actibus ſiue paſsionibus vtriuſq; appetit⁹ ſẽſitiui.*

Actus verò earum, quas affectiones alij, alij paſsiones dixerunt, ſunt breuiter etiam à nobis conſiderandi: quos etiam antiqui illi theologi Greg. & Damaſce. tradiderunt ſupradictis locis: & diligentiſsimè d. Thom. pluribus quæſt. videlicet à 22. vſque ad 48. prima ſecũdæ. Plurimum enim refert ad materiam moralium hos cognoſcere: cum (vt diximus) tãtoperè valeant affectus in hominibus. Nobis tamen in hoc principio ſatis ſit breuiſsimè vel numeraſſe harum potentiarum actus.

*Act⁹ appetit⁹ cõcupiſcẽdi circa*

Igitur virtus illa concupiſcibilis

*bonũ & malũ.*

lis duo reſpicit: Primò bonum quod proſequitur: deinde malum quod fugit. Circa bonum tres diſtinxerunt illius actus, amorem, deſiderium, & gaudium: qui ſe habent in animali, ſicut in re naturali, reſpectu finis naturalis, primùm conuenientia ipſa rei naturalis cum fine, quæ eſt antequam incipiatur motus & ex qua incipit: deinde motus ipſe: tertiò denique quies. Sic in appetitu hoc animali, bono abſolutè propoſito concupiſcibili, primò placet illi: hoc vocant amorem: *Amor.* ſecundò, ſi conſideratur abſens, appetitur deſiderio: ſed in iam adepto & acquiſito conquieſcit appetitus, quod eſt gaudium. *Deſiderium. Gaudiũ.* Circa malum tres oppoſitos actus, qui ex his manifeſti fiũt poſuerunt. *Odium. Fuga. Triſtitia.* Malum enim abſolutè conſideratum odio habetur, abſens fugitur, præſens triſtitiam efficit: atque ideo hos actus nominarunt, odium, fugam, & triſtitiam.

*Act⁹ appetitus iraſcibilis circa bonũ & malum difficile.*

Iraſcibilis porrò, quæ propugnatrix eſt & vindex cõcupiſcibilis, ab illa incipit et in illam terminatur. Eſt tamen circa bonũ & malum ſed difficile. Bonum igitur arduum illi propoſitum, ſi iudicetur poſsibile acquiri, ſperatur; quòd ſi è contrario impoſſibile credatur, deſperamus de illo. Et hæc duo, ſpes & deſperatio, ſunt duo contrarij actus virtutis iraſcibilis circa bonum.

*Spes. Deſperatio.*

Similiter & malum arduum aut timetur, cùm iudicatur non poſſe euadi: aut cum ſperatur ſuperari poſſe, audemus in illud inſurgere. Sunt igitur timor & audacia duo iraſcibilis actus circa malum arduum: & hoc quidem cum abſens eſt.

*Timor. Audacia.*

At verò cùm malum eſt præſens, ſi ſuperari poſſe iudicatur, inſurgit ira, quæ propriè etiam eſt iraſcibilis paſſio.

*Ira.*

Nam ſi ſuperari non poſsit malum, ſuccumbit appetitus per triſtitiam, quæ non eſt iraſcibilis, ſed concupiſcibilis affectio.

Cir-

Circa bonum verò præſens cùm nulla ſit difficultas, non operatur iraſcibilis, ſed in eo quieſcit concupiſcibilis per gaudium. Si itaque hæc bene conſiderentur, apertè patet in triſtitia & gaudio terminari omnes affectus appetit', incipere verò ab amore. Ex eo enim quòd aliquod bonum amatur, deſideratur abſens: ſi ſit difficultas, ſperatur, & in eam inſurgitur ab iraſcibili: cum verò acquiſitum fuerit, ſequitur gaudiũ: quòd ſi impoſsibile iudicatur, eſt deſperatio: vel ſi tandem nõ obteneatur, ſequitur triſtitia. Ex quo etiam circa malum, qualis ſit progreſſus oſtenditur. Odio habetur malum abſolutè conſideratum: abſens fugitur, & inſurgimus per audaciam in illud, atque repellitur per iram, ſi inciderit, vel per triſtitiam ſuccumbimus illi.

LECTIO

# Lect. Quarta.

## DE VOLVNTARIO IN OMNIBUS *humanis actibus, de habitibus, & prima diuiſione humanorum actuum in bonos & malos.*

IAM ex illis quæ dicta ſunt proximis lectionibus, inferamus quædam, quæ non parum adiuuant ad iudiciũ humanorum actuum, & cognitionẽ peccatorum.

Primò itaque ex dictis oſtenditur, in quibus actibus hominũ voluntarium inueniatur, & ad quos ſe extẽdat imperium rationis: hæc enim duo ſe inuicem cõſequuntur. Ibi enim ſolùm voluntarium eſt (quod à voluntate propriè dici ſuperius oſtẽdimus) vbi motus voluntati ſubeſt: quę cùm ratione regatur, in eiſdẽ etiã eſt imperium rationis.

Imperiũ igitur hoc loco ordi-

natione quandā rationis nō indi catiuam tm̃,ſed imperatiuā & efficacē,mouentē videlicet ad exercitiū actus,dicimus.Cū aūt etiam ſuperius oſtenſum ſit,ad volūtatē propriè pertinere,mouere effectiuè ad actus exercitiū:ſatis oſtēditur(vt b.Tho.colligit) imperare,rationis quidē eſſe, ſed virtute volūtatis efficacis. Ex quo proximè ſequitur,ad omnes illas potentias, quas rationales diximus ſiue per eſſentiam,ſiue per participationem, extendi imperium rationis:& in illis omnibus volūtarium eſſe, ac in illis duntaxat. Imperatur igitur & eſt voluntarius primò act⁹ ipſe ratiōis, quoad exercitium quidē ſēper,vt cogitet videlicet, aut non cogitet: quoad aſſenſum verò ſimiliter, vbi ratio non eſt cōuincens. Vnde credim⁹ nōnunquā ex imperio ratiōis. Imperatur deinde & actus ipſi⁹ volūtatis,quaten⁹ & à ratiōe ordinari,& alio actu volūtatis appeti poteſt.Tertiò etiā act⁹ appe-

*De imperio rationis.*

*Imperiū rationis ad quas potētias ſe extēdat.*

appetitus ſenſitiui imperatur, q̄quam (vt dictum eſt) ex ſe appetitus nonnunquam moueatur. Denique & exteriorum mēbrorum actus, quoad motum videlicet localem, & alios, in quibus ſequuntur apprehenſionem. Solæ igitur vegetatiuæ vires alienę ſunt à voluntate & eius imperio. Actus itaque illi qui imperātur, non aliud, quod ad mores attinet, ſunt, quàm ipſum imperium. Itaque deambulatio voluntaria & imperium eius, ſeu voluntas ipſam volens, & ratio ordinans, ita ſe habent ( vt b. Thom. inquit artic. 4. eiuſdem quæſtionis 17.) ſicut actus primi mouētis, & inſtrumenti exterioris. Ipſa itaque ſunt veluti materialia: formale verò, quod ex rōe & volūtate eſt.

*Vires animæ vegetatrices non ſubſunt imperio voluntatis.*

Infertur etiam ex eiſdem, in omnibus his potentijs in quibus eſt volūtariū, eſſe habitus, quos, quantum huic propoſito ſufficit, vocamus diſpoſitiões bonas vel malas, quibus potentiæ diſponuntur

*De habitibus bonis & malis.*

nuntur ad ſuas operationes bene aut ſecus exercendas: ſicut ſciētia in intellectu, eſt quædam bona diſpoſitio eius ad aliqua cognoſcenda: & ignorantia mala. Temperantia eſt bona diſpoſitio animi ad moderatè vtēdum delectationibus: & è contrario, intemperantia, mala diſpoſitio illi oppoſita. Circa quos habitus hoc primò aduertendum: ita natura comparatum eſſe, vt virtutes illæ atque potentiæ, quæ ad diuerſa obiecta & diuerſimodè determinari poſſunt beneque & male ad illa ſe habere: ex operationibus ſuis diſponantur ad ſimiles etiā operationes, quas diſpoſitiones habitus vocamus. Nec enim in graui corpore aliquis habitus ad deſcendendum deorſum generatur, aut neceſſarius eſt: cùm ad hunc actum pręciſè ſit à natura determinatum. Sed nos (qui vel voluntate vel ratione in diuerſa tendimus, & in eadem diuerſimodè & variè, bene ſ. vel

malè

malè ) cùm aſſueſcimus bonis operibus, aſſequimur diſpoſitiones ad ſimiles actus facilè & promptè exercēdos, quas virtutes etiā dicimus: ſicut ex aſſuefactiōe malorum operū cōtrarios habitus paramus, quos vitia vocamus.
Quod cùm experiētia ipſa cōſtet, non eſt opus pluribus probare: quod omnis etiā & philoſophorū & ſcripturæ doctrina teſtatur: de quibus B. Thom. q. 49. & pluribꝰ ſequētibꝰ, prima ſecūdæ. Nec ſpecies ſingulas eorum, ſiue bonorum ſiue malorū, opꝰ eſt perſequi: ſatis ſit ( quod ad ſequentia opus erit) adnotaſſe, habitꝰ, quāquam non ſint cauſa omnium actuum (cùm à quibuſdam potius ipſi producantur) computandos tamen eſſe inter principia intrinſeca humanarum operationum.

*In quibus animæ potētijs ſint habitus.*

In ſolis itaq; illis virtutibus & potētijs eos eſſe conſtat, quæ ratiōi & voluntati parent: & ita principia ſunt humanarū operationū. In potentijs itaq; vegetatiuis nō

ſunt

ſunt habitus, ſed in ratione ipſa, in voluntate, & in potentijs appetitiuis, & membris etiam ipſis, quibus vtitur ratio & voluntas: vſque adeo vt & animalia ipſa, quatenus ab humana ratione diriguntur, habitus quoſdam habeant, quibus equus rectè aut ſecùs mouetur in bello, & canis venationem ſequitur &c.

Tertiò ex eiſdem ſequitur, vnde & quomodo ſumēda ſit actuum humanorum prima diſtinctio, quæ proculdubiò eſt in bonos, & in malos: quę eodem modo in humanis actibus intelligenda eſt, quo in cæteris omnibus rebus. Bonitas enim rei propriè in integritate naturę conſtituta eſt: malum verò in aliquo defectu. Cùm igitur actus humani à rationali virtute ſint, deficientes ab ea, mali meritò dicuntur: conformes autem illi, boni: vt beatus Thomas quæſ. 18. 1. 2. explicat: de qua re nos paulò inferiùs plura. Nunc explicem⁹ breuiter, quę

*De bonitate & malitia & merito actuum humanorū*

ex

ex bonitate & malitia in huma-
nis actibus conſequãtur: & pro-
xima ſunt his quæ diximus. Pri-
mum horũ eſt rectitudo & pec-
catum: ſecundum, laudabile &
vituperabile: tertium, meritum
præmij pel poenæ. Hæc tria in-
fert B. Thom. (attentè conſide-
rans) hoc ipſo ordine ex bonita-
te et malitia q. 21. 1. 2. Horum iſta
eſt ratio & diuerſitas. Bonum &
malum priora ſunt, & conueni-
unt actibus noſtris abſolutè con
ſideratis in ſua natura. Rectitu-
do & peccatũ propriè inueniũ-
tur in his, quæ ad finem ordinan
tur, vt in operibus artium. In eiſ-
dem rectum eſt, quod in finẽ ten
dit ſecũdum propriam regulam
& menſuram: & peccatum, quod
præter illam. Et quia omnes a-
ctiones noſtræ in finem aliquem
ordinantur, vt viſum eſt: regula
verò ratio eſt: ſi ſecundum illã
tendant in finem, rectæ: ſi ſecus,
peccata ſunt. Omne itaque pec-
catum malum, non verò omne
malum

*In quibus rectitudo & peccatum.*

malum peccatũ eſt : ſicut omne rectum, bonum, non omne bonũ eſt rectum . In actibus verò noſtris omnino conuertuntur. Rurſum, peccatum vel rectum, ſi in his accidat quæ poteſtatem ſuorum actuum non habent, aut nõ voluntariè operãtur: nec culpabilia nec laudabilia ſunt: ſicut corruptio aliqua in generatione, aut defectus in motu . Vbi verò voluntarium eſt, ibi rectum, laudabile, & peccatum, & vituperabile. Et hæc duo proximè conſequuntur poena & premium: atque ideo cum eis conuertuntur : omne laudabile dignum eſt præmio, & contrà: omne vituperabile poena, & contrà. Sed ratio hæc meriti alia eſt. Sumitur enim ex ordine, quem actus habet ad bonum vel priuatũ alterius, vel cõmune totius vniuerſi. Quia enim quicquid homines agimus boni, quantumuis priuati, non ſolùm nobis vtile eſt, ſed vniuerſo, cuius nos pars ſumus: ideo dignum

eſt

eſt præmio: & contrà de malo dicendum. Nec tantùm digna ſunt præmio vel pœna: ſed ab ipſo etiam Deo authore vniuerſi ratio poſtulat, vt reddatur viciſſitudo omni benè vel ſecus operanti. Nam in eius etiam laudem & gloriam bonum fit, ſicut malum contrà. Et confirmat hoc ſcriptura Eccleſiaſt. vltimo: Cuncta quę ſunt, adducet Deus ad iudicium &c. Quæ ideo dicta ſunt: vt oſtendamus hęc non aliena eſſe à theologo & Chriſtiano, quæ videlicet iuxta ſcripturam & fidem de actibus humanis dicimus, nec ab his diſcordare quæ ſcriptura & fides docent. Vbi multi errant volentes in doctrina morum hęc omnia reijcere, cùm reuerà gratia ſemper naturam ſupponat, maximèq; in moralibus, & iuxta illam Deus ſuauiter quæ ſunt fidei tradat.

# Lectio Quinta

## DE BONITATE ET *malitia actuum humanorum.*

CVM igitur prima diſtinctio actuum noſtrorũ (vnde cætera quæ diximus, proueniunt) ſit in bonos & malos, de horum ratione nunc breuiter dicemus. Primùm hoc conſtituatur: Bonum & malum in actibus noſtris inueniri, ſicut in cæteris rebus omnibus: ſecundũ entitatẽ nempe & perfectionẽ propriæ naturæ, vt ait b. Thom. ar. 1. 2. q. 18. a. 2. Quãtũ itaq; habet quilibet actus noſter entitatis, tantũ habet ꝑfectiõis & bonitatis: & quantũ deficit à ꝑfectione eſſendi, tantũ deficit à bonitate. Ex quo proximè ſequitur quòd etſi nõ deſint ſpecies quædã humanorũ actuum, quæ ex ſe indifferẽtes ſunt, vt deambulatio ꝑ forũ & per agrũ: in indiuiduo

tamen omnis actus à ratione & voluntate manans, bonus eſt aut malus: quoniam non niſi ex aliquo recto fine procedit, quē neceſſe eſt bonum eſſe aut malum: quæ eſt efficaciſsima ratio D. Thom. arti. 9. illius q. vt ambulatio per agrum ſanctę meditationis, ſalutis, aut certè inhoneſtatis cauſa. Ex eodem etiam infertur, non vnam eſſe bonitatē vel malitiam in noſtris actibus, ſed multiplicē. Quia enim propria actuū noſtrorū natura & perfectio ex conformitate ad rationem eſt: quicquid in illis rationi vel conſentaneum vel diſſentaneum inuenitur, bonitatem facit vel malitiā. Igitur quia actus noſtri primò ab obiecto illo circa quod fiunt, accipiunt ſpeciem & entitatem: prima eorū bonitas ex obiecto eſt, ſicut & malitia, ſecundum quòd obiectum conforme eſt vel difforme rectę rationi. Et hæc eſt bonitas vel malitia ex genere ſiue ſpecie propriè: vt rei

alienæ

alienæ acceptio ex genere eſt ma la: eleemoſynę collatio bona eſt. Poſt iſtã verò bonitatẽ alia eſt ex circunſtãtijs, de qua vt agatur, pauca de circũſtãtijs dicẽda ſunt hoc loco, iuxta ea quæ & antiqui illi theologi, Greg. & Damaſ. vbi de voluntario & inuoluntario loquuntur, dixerunt, & philo ſophus 3. ethi. & b. Thom. q.7.1.2.

*de circũ ſtãtijs actuũ humanorũ*

Circũſtantiam itaque ex meta phora rerum corporalium mora les tranſtulerũt ad actus noſtros: circumſtantiam vocantes condi tionem quandam actuũ noſtrorum, extra ſubſtantiam quidem & naturam eorum, ſed ipſos attingentem, et ad eos pertinẽtem: ſicut illa circumſtare corpus dicuntur, quæ extra naturam ipſius ſunt, & aut ipſum attingunt, aut illi appropinquãt. Vnde has circumſtantias plurimum conferre ad laudem vel vituperium, & ita ad poenam vel præmium humanorũ actuũ, conſtat: propter quod & Rhetores & mora-

les de circumſtantijs agunt: Nec minus hoc pertinet ad theologos & ſpirituales animarum iudices. Septem verò Cicero numerat circunſtantias: Ariſtoteles 8. quanquam parum à prædictis diuerſas. Earum igitur hæc eſt ratio, & numerus, Actum noſtrum quædam reſpiciunt vt menſuræ, ſicut locus & tempus. Et hæ ſunt duæ circũſtantiæ temporis & loci. Multũ refert, an in loco ſacro, an prophano inferatur violẽtia: in publico, an occulto. Multum etiam refert, quo tempore indulgeat qs voluptati, ſacro, an prophano: abſtinentię vel ieiunij, an alio. Alia conditio reſpicit actum noſtrũ vt ipſius qualitas quæ eſt tertia circumſtantia, Quomodo. Non enim parum refert, eleemoſynam dediſſe hilariter & promptè, aut cum triſtitia & minus libenter: oraſſe deuotè, aut nõ deuotè. Sunt rurſus aliæ conditiones ex parte cauſarum actus vel finis: qualis eſt circumſtãtia, Cur.

*Numer⁹ & ratio circũſtãtiarum. Vbi. Quãdo.*

*Quomodo.*

*Cur.*

Aliud

Aliud eſt enim ieiunare ob reue-
rentiã Chriſti crucifixi, aliud ex
auaritia: dediſſe eleemoſynam ex
vana gloria, aut ex pietate. Ex
parte cauſę agẽtis eſt alia circũſtã
tia, Quis. Quis ſcilicet ſit qui ali- *Quis.*
quid operatur: ſenex an iuuenis,
ſacer an prophanus: Aliud eſt e-
nim fornicari ſolutũ à matrimo-
nio, aliud laicũ, aliud ſacerdotem,
aut in ſacris conſtitutũ. Ex parte
etiã inſtrumẽti ſumitur alia qui-
b' auxilijs. An quis percutiat ba- *Quibus*
culo, an gladio. Ex parte verò *auxilijs*
materiæ circa quã eſt actus, ſu- *ſiue in-*
muntur duæ aliæ. Quid ſcilicet, *ſtrumẽ-*
& propter quid, quas Cicero pro *tis.*
vna poſuit, & ferè idẽ ſunt: vt an
parũ, an multum quis ſit furatus: *Quid, ſi*
an parem percuſſerit, an maiorẽ, *ue Cir-*
an inferiorem, an alienum. Itaq; *ca quid*
apertè conſtat hæc omnia perti-
nere ad rationem, & per ea actus
noſtros magis vel minus rectæ
rationi cõuenire, vel ab ea diſſen
tire. Sumitur igitur ex eis ſecũda
bonitas vel malitia actuũ nrorũ.

Atque

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Atq; inter illas præcipua eſt circumſtantia finis: cur ſcilicet aliquid fiat. Placuit ita diſtinguere, vt poſt bonitatem, quæ eſt ex obiecto: ſecunda ſit, quæ eſt ex fine, tertia, quæ eſt ex reliquis circumſtantijs loci vel temporis, & cæt. Ita videlicet, vt eleemoſynam conferre propter Deum pauperi, vbi, quando, & quomodo cõuenit, bonum ſit vndique: ſed hoc ipſum facere non propter Deum, ſed propter gloriam vanam, malum ſit ex fine: facere verò propter Deum, ſed non quando oportet, vel quomodo, eſt malum ex circumſtantijs, bonũ verò ex obiecto & fine.

*Prima bonitas et malitia actuũ ex obiecto, ſecũda ex circũſtãtijs.*

*Finis præcipua circunſtũtia.*

Vbi hoc vltimò annotandũ, quòd ad bonitatem ſimpliciter actus (vt ſcilicet abſolutè bonus dicatur) neceſſaria eſt obiecti, & finis, & omnium aliarum conditionum bonitas: quarum ſi minima defuerit, actus ſimpliciter eſt malus: quod ratio ipſa in cæteris rebus omnibus oſtendit: propter

quam

quam dixit Dionyſius, bonum cōſtare ex integra cauſa: malū ex ſingulis defectibus; ſicut reuerà imperfectus eſt hō, q̄ quis hō vel mācus vel cæcꝰ eſt, vel aliquo alio vitio laborat. Ex his igitur & circumſtantiæ, & bonitas quæ noſtris actibus accidit, oſtenſæ ſunt. Ex quibus conſiderandum (quod maximè noſtro propoſito conuenit) circumſtantias aliquādo mutare ſpeciem actuum, aliquando verò non, ſed augere tantum, vel diminuere eandem ſpeciē. Primi exempla ſunt circumſtantię actuum, ex bono reddentes malum, vt eleemoſyna propter vanam gloriam, aut ex triſtitia & neceſsitate, vt Paulus ait. Hæ autem circumſtātiæ iſtos actus efficiunt vel vanæ gloriæ, vel auaritiæ. Secundi verò exemplum ſit, ſi parum vel multū quis furetur. Ex quibus exemplis colligenda certa ratio, propter quam circumſtantiæ mutent, vel tantum augeant, vel certè nihil

*Circūſtātiæ aliquando mutant ſpeciem actꝰ, aliquando vero tātum augent aut minuūt.*

omnino faciãt ad actus noſtros. Illæ enim quæ nouam conformitatem aut repugnantiam cum ratione habent, nouam conſtituũt ſpeciem: vt furatum fuiſſe in ſacro loco, eſt, pręter furtum ſacrilegium: percuſsio patris, eſt vltra violentiam, etiam impietas. Quæ non habent nouam conuenientiam, vel diſconuenientiam, ſed augent priorẽ, etiam reddũt actum meliorem aut peiorem, ſed in eadem ſpecie: vt multum vel parum furatum fuiſſe. Quæ verò nihil horum habent, impertinẽtes & alienæ ſunt: vt percuſſiſſe gladio, vel haſta: & huiuſmodi alia. Iſta huic loco ſufficere debent, alibi plenius explicanda ſunt.

# Lectio Sexta.

## DE RATIONE PECCATI, *& de diſcrimine venialis ac mortalis*

IAM conuenienti ordine agendū eſt de peccatis, de quibus præcipuè agitur in iudicio illo arcano confeſsionis. Vt autem ex dictis patet, ſicut in bonis actib' humanis ſunt duo: actus videlicet ipſe, & habitus à quo emanat, quē vocamus virtutem: & tertium denique his duobus cōmune, bonitas quędā, qua ipſe operans vel habens habitum bonus eſt: ita in actu malo, qui peccatū eſt, tria cōſideranda ſunt: actus ipſe rectitudine carēs, quem vocamus peccatum: habitus illi conformis, ſiue aliqua animæ diſpoſitio ad peccatum, quam vocamus vitium, virtuti videlicet oppoſitum: & malitia ipſa, qua malus verè eſt vtrumque habēs.

*Tria cō ſideranda in actu bono & malo.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cùm itaque hæc tria vocabula ſint, peccatum, vitium, malitia: peccati nomine propriè accipimus actionem ipſam mali: quę ita b. Thom. explicat: Ex quo & ſupradictis facilè patet ratio & definitio peccati. Eſt enim, iuxta Auguſtinum, peccatũ actus quilibet contra legem æternam: dictum (inquit) factum, vel concupitum. Vbi eſt obſeruãdum, duo eſſe in peccato; primum, materiale ipſum, hoc eſt, actus aliquis, vel certè omiſsio actus voluntarij: peccatur enim nonnunquam ſola omiſsiõe abſque aliquo actu. Illud itaque ſit materiale. Formale verò, quod complet rationem peccati, deordinatio illa eſt, & carentia debitæ rectitudinis. Cùm enim humani actus regula propriè ſit ratio æternæ & diuinæ legi conformis; actus ab hac diſcrepans caret proculdubio rectitudine debita. Peccatum igitur meritò tãtum priuatio quędam dicitur, & nihil; ſicut cæcitas

*1.2.q.17*

*quid peccatum.*

*quid materiale ĩ peccato.*

*quid formale.*

tas

tas aut tenebræ, in quibus materiale quidem ſubiectum eſt lucis vel viſus, ocul⁹ videlicet aut aer: ſed formalis ratio tenebrarum in ſola negatiōe lucis eſt: quare reuerà nihil eſt. Ita igitur peccatū. Et iuxta hæc duo etiam diſtinxerunt doct. duo in peccato meritò conſideranda: conuerſionē ſcilicet ad aliquod bonum, quod omnis peccans quærit & amat: ex hac ſequitur obiectum peccati & ſpecies. Quærit enim adulter alienam, &cæ. Aliud verò eſt auerſio à Deo, & lege eius, quam non intendit neque aſpicit peccans. Quare Dionyſ. inquit. Nemo intendens ad malum, operatur. Nec tamen propterea minus imputatur ei. Et hęc ſufficiant de ratione peccati.

*In omni peccato mortali eſt cōuerſio ad bonum aliquod & auerſio a Deo.*

Iam ad diuerſitates peccatorū tractandas accedamus; quæ cùm ſint multæ & variæ, vt apud beatum Thomam videre eſt: illa tamen omnium maxima eſt, & maximè neceſſaria ſpiritualibus iudici-

dicibus, qua in mortale, & veniale peccatum diuiditur: quæ attentius nunc conſideranda.

Primò omiſsis nunc nominibus, de quibus poſtea, rem ipſam irrident hæretici, qui (quanquam vtcunque ſe purgent ab obiecta illis Stoicorum opinione, omnia peccata eſſe paria) dicunt tamen omne peccatū mortale eſſe, ſi verum eſt illud Pauli: Stipendium peccati mors: includentes etiam hîc ipſum peccatū originis. In quibꝰ multa ſunt & ſcripturæ, & ratiõi repugnãtia, vt patebit.

*De diſtinctiõe peccati venialis & mortalis*

Nos igitur illud primò ſtatuamus: ex ſcripturis & doctrina eccleſiæ manifeſtè oſtendi, quædã peccata eſſe leuia & minima, nec æterna pœna digna, aut à regno Dei excludentia: alia verò eſſe maxima & grauia: qualia qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt: atque ideo æterna damnatione digna. Scriptura quidem aperta eſt Pauli dicentis: Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt forni-

*Galat. 5.*

fornicatio &c.quæ qui agunt,re-
gnum Dei non conſequentur.Et 1.Cor.6.
rurſum : An neſcitis quia iniqui 1.Cor.3.
regnum Dei non poſsidebunt?
Nec fornicarij &c.Et de grauio-
ribus hæc ſufficiant. De minori-
bus verò locus ille ſufficit.Vnuſ-
quiſque videat quomodo ſuper-
ędificet:cùm pri⁹ dixiſſet: Funda
mentum aliud nemo poteſt po-
nere,&cæ.Nam alius (inquit) ſu-
peræďificat lignum,&c.quæ ma-
nifeſtè vocat opera quædam, di-
gna quidē igne purgari, ſed quæ
fundamentum non deſtruant:&
ideo nec à ſalute excludant. Sic
enim inquit:Si cuius opus arſe-
rit,detrimentum patietur,ipſe au
tem ſaluus erit. Vocat verò fun-
damentum(vt Auguſtinus in li-
bro de fide & operibus docuit)
fidem per dilectionem operantē.
Apud patres quoque omnes fre
quentiſsimè in vſu eſt, quædam
peccata grauiora, quædā leuiora
dicere:ſicut Auguſtinus ſæpe cō
tra Pelagianos diſputans, etiā ex



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

1.Ioã.1. verbis Apoſtolorũ aſſerit, ſine
peccato nullum hominem eſſe,
vt Iohannes ait: Si dixerimus,
quia peccatum non habemus, &
cæt. ſed ſine crimine multos vi-
uere ait, dicente Paulo Apoſtolo
de Pręsbyteris & Diaconis or-
dinandis: Si quis ſine crimine
eſt. Crimen (inquit Auguſti-
nus) peccatum graue eſt, accu-
ſatione & damnatione dignum.
Ita tractatu 41. in Iohannem, vt
Magiſter citat 42. diſtinct. 2.
Item 21. de ciuitate Dei, cap. 28.
de peccatis, quæ eleemoſynis &
oratione remittuntur; & in En-
chiridio cap. 64. vbi ex profeſſo
de hac diſtinctione peccatorum
loquitur: de qua nos ſuperius in
ſacramento poenitentiæ, cùm
de remiſsione peccati venialis a-
geremus, plura diximus, huic e-
tiam loco conuenientia. His
ſcripturæ & ſanctorum autho-
q.72.ar. ritatibus ſuffragatur quoque ra-
5.& qu. tio, naturæ & fidei conſentiens,
88.ar.8. quam habet diuus Thomas di-
ligen

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ligenter in prima ſecũdæ: de qua breuiter hæc annotanda ſunt.

Primùm. Mortale à veniali non diſtinguitur, primò ex reatu pœnæ, quòd videlicet hoc ſit dignum temporali, illud æterna: ſed hæc diſtinctio cõſequitur eorum naturas, ex quibus primò diſtinguuntur. Secundùm. Prima horum diſtinctio eſt ex diuerſitate inordinationis, à qua (vt patet) peccata habent omnem malitiam, vt diximus. Deordinatio verò omnis, cùm ſit contra ordinem aliquem, in quo neceſſe eſt eſſe principium ſiue finẽ, & medium, eſt proculdubiò vel circa finem ipſum, & principium ordinis, vel circa media, ſaluo ordine ad finem. Igitur ſicut in corporea ægritudine omnis deordinatio humorum, ſaluo principio vitæ, curabilis eſt: ſed corruptio ipſius vitæ, mors videlicet, irreparabilis: & ſicut in intellectu ſpeculatiuo, qui errat circa probabilia media, vel concluſiones

quaſcunque, etiam neceſſarias re
parari poteſt & emendari, ſi prin
cipia ſcientiæ & ratiocinationis
ſalua permaneant: ita in mora-
libus de quibus nunc agimus, ſi
quis peccet contra fines ipſos ad
quos reliqua omnia ordinantur:
quantum eſt ex ipſo irreparabi-
liter peccat: vt videlicet ſi contra
charitatem Dei, & obedientiam,
vel proximi vtilitatem peccet,
quantum in ipſo eſt, incurabilis
eſt: & hoc vocamus peccatum
mortale: quod quia aufert gra-
tiam & charitatem, cui primò &
directè opponitur, ex ſe dignum
eſt morte æterna. Si autem circa
alia quis peccet & deordinetur,
ſaluo tamen ordine charitatis:
cùm contra illam non agat, ſed
præter illam tantum, non eſt di-
gnus æterna ſeparatione à Deo
nec inimicitia: quod vocamus
peccatum veniale: vt otioſum
aliquod verbum nulli nocens,
parum immoderatus vſus cibi:
& huiuſmodi. Hoc enim na-
tura-

turalis ratio habet ( cui conſonat proculdubiò diuina lex ) vt in omni amicitia quædam ſint illi omnino contraria, quædam verò tantum nonnihil retardantia affectum amicitiæ. Hæc igitur ſunt peccata venialia. Quæ diuus Thomas certiſsima ratione tantum ſecundum quid dicit peccata: collata ad peccata mortalia, ſunt quaſi imperfectum quid in genere peccati. Ex quo reſpõdetur etiam obiectioni hęreticorum ex illo verbo Pauli: Stipendium peccati mors. Ibi enim de peccato mortali eſt ſermo: quod oſtendit alter locus: Ipſe tamen ſaluus erit. Et certè in Paulo peccatum non dicitur niſi mortale, vel cauſaliter, vel formaliter. Secundò etiam infert beatus Tho. ex prædictis, in peccato veniali non eſſe propriè & perfectè deordinationem vel maculam, ſed ſecundum quid tantum: priuationem ſcilicet actualis ſplendoris, qui eſt in actu virtutis,

*ar. 1. 88. q. 1. 2. ad primum.*

*1. Cor. 3.*

*q. 89. artic. 1. 12.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tutis,& deordinatiōe ab his,quæ quodam modo impertinentia ſunt. Tertiò denique, nec peccatum veniale propriè eſſe contra legem aut præceptum, aſſerit.

Quod quanquam nonnullis diſpliceat, rectè tamen conſideratum, & rationi & patribus conſentaneum eſt. Non eſt enim cōtra finem alicuius præcepti: finis enim omnium eſt charitas, vt
1.Tim.1 Paulus ait: & ideo contra nullum pręceptum eſt. Nam præceptum via quædam eſt: viæ verò propriè contrarium eſt, quod termino ipſius repugnat: vnde nō facit contra dirigentem in via, qui etſi parum diuertit, non tamen in contrarium tendit: vt Auguſtinus in libro de doctrina christiana, de exponente ſcripturam ſacram alieno quidem ſenſu à circūſtantia literæ, ſed vero, inquit. Igitur non negamus mēdacium omne prohiberi aliquo præcepto: ſed præcepto ordinante charitatem Dei & proximi:

contra

contra quod non ſit, ſi mendacium non ſit contra charitatẽ Dei & proximi: ſed eſt pręter præceptum, & nonnulla declinatio à via, & retardatio. Et hæc de natura peccati venialis in genere nobis ſint dicta, in qua errarunt hæretici præſentes pernicioſè ab eccleſiæ ſenſu recedentes, atque ideo reijcientes tam certam diſtinctionem: ſed & nonnulli alij, inter quos Gerſon, pietate quadã putantes ſe obſequium præſtare Deo, cùm dicunt veniale peccatum ex ſe eſſe mortale, & ex ſe dignum ęterna damnatione: & deniq; , non minus nos teneri Deo ad gratiarũ actionem, quòd veniale non puniat æternaliter, quàm quòd remittat nobis mortale. Et hæc omnia pertinent ad errorem illum Stoicorũ, omnia peccata æquantium. Nam quid rationabilius, quàm fateri furtũ tantum diſtare ab homicidio, quantum res furto ablata à vita? Quod negantes, Stoicos ſe fateri

debent,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

debent,& negare, quòd tantum diſtet mendacium nulli nocens, & quòd multis prodeſt, ab ipſo homicidio,quantum nullius nocumentum cum minima deordinatiõe,ab ipſa vitę ſubtractione diſtat. Quod ſi quis conſideret,facilè ſoluet eorum rationes. Nec enim rationabiliter dici poteſt, iuſtè priuari poſſe peccantem eo bono,contra cuius ordinem non facit cùm peccat. Vnde nec Deo propter peccatum veniale priuari quis iuſtè poteſt.

Vbi non inquirimus quid vel omnipotentia.vel immenſa eius bonitas poſsit: ſed quid habeat ipſa natura peccati.

LECTIO

# Lect. Septima

## DE EODEM. ET DIST. *peccatorum venialium.*

QVÆ huc vſq; dixim⁹, pertinent ad peccatum veniale minuendũ. Vnde apparet quàm ſit paruum peccatũ comparatũ mortali: diſtat enim ab eo quodãmodo in infinitũ. Eſt tamẽ oſtendẽdum, quid in eo ſit mali, & quòd meritò timendum ac diligentiſsimè fugiendum ſit.

Eſt igitur peccatũ veniale oĩe, diſpoſitio quędam, atq; ita appropinquatio ad mortale, vt de hoc meritò apud Sapientẽ ſcriptũ ſit: Qui minima negligit, paulatĩ defluet. Dupliciter igitur (vt b. Tho. inquit) peccatũ veniale ad mortale diſponit. Vno quidẽ modo directè, ſicut calefaciens diſponit ad formã ignis: aſſuefaciendo videlicet alicui trãſgreſsioni hoẽm atq; ita ipſam ei connaturalẽ reddẽdo.

*Veniale peccatũ eſt diſpoſitio ad mortale.*

*ar. 3. 88. q. 1. 2.*

Ex

Ex quo fiet tandem, vt vel con-
ſentiat in illam conſenſu delibe-
rato, vnde mortaliter peccare po
teſt: vt cùm frequenter veniali-
ter quis appetiuit turpem dele-
ctationem, & aſſueuit negligen-
tius ſe gerere: fiet aliquãdo vt ple
no conſenſu illam deſideret. Vel
(vt magis placet b. Thomę eo lo
co) aſſuefactus mẽdacijs iocoſis,
fieri poteſt, vt nonnunquam a-
deo eis delectetur, vt ipſa contra
Dei præceptum aliquod, vel fi-
nem in eis conſtituens, commit-
tat. Itaque tunc peccatum veniale
à mortali differt, ſicut tepiditas à
calore. Aliter verò diſponit, nõ
quidem directè & per ſe, ſicut pri
ora: ſed ſolum indirectè, ſicut
qui remouet prohibens deſcen-
ſum lapidis deorſum. Ex in-
ordinatione enim aliqua fit, vt
paulatim aſſueſcat homo minus
cogitare, & minus timere tranſ-
greſsiones: ſicut euagatio maxi-
ma, & obliuio rerum diuinarum
facit, vt minus Deus timeatur, &

ita

ita vel aufert, vel minuit timorē, magnum peccati impedimentum.

Vnde extat frequens patrum admonitio de cauendis, etiam leuioribus peccatis: & cum commiſſa fuerint, non negligendis ac pro nihilo ducendis. Auguſtinus locum illum exponens: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem &c. oſtendit quanti facienda ſint leuiora peccata, quæ non remittuntur niſi in dilectione & miſericordia Dei ambulantibus, & propter illa veritatem confeſſionis coram Deo facientibus: etiam (inquit) ſi liberi ſint à grandibus illis peccatis, quæ facinora dicuntur: homicidio videlicet, adulterio, & cæt. Nō enim (inquit) minus lædit ſentina neglecta in naui, quàm magna tempeſtas: nec multitudo arenæ, quamuis minutiſsima ſint ei⁹ grana, minus demergit nauim, quàm alia quæuis pondera.

*12. trac. ſuper Iohannē.*

Hęc itaque cùm ſatis exaggerent

nobis malum venialis peccati, ſunt ſemper ſobriè accipienda. Non eſt itaque ex eis colligendum, peccata venialia, quantumuis multa & innumerabilia, mortali vni æquiualere poſſe, vt nõnulli intellexerunt. Sed (vt beat. Thom.art.4.eiuſdem q.dicit)peccatum quod per ſe veniale eſt, poteſt, dum nimium placet, mortale fieri: vel dũ ad finẽ mortalẽ ordinatur, vt articulo 5. Sed hoc tantum ex illis verbis accipiatur, animam multis venialibus grauari, ne ita poſsit in Deum aſſurgere: quo fit, vt facilè ſuperetur ingruente tentatore. Quare opus eſt frequenti conuerſione in Deum quærere remiſsionẽ venialiũ, de qua dictum eſt ſatis in ſacramento poenitentiæ. Hæc itaque (ſicut proxima lectione diximus) de re ipſa, natura videlicet mortalis et venialis peccati, dicta ſunt.

*De nominib' mortalis & venialis peccati.*

Cæterùm nec nomina ipſa omittenda omnino ſunt: quę quanuis in vſu ſcripturæ nõ inueni=

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ueniantur, nec apud antiquiores patres, quantum recordari poſſumus: non tamen propterea reijcienda ſunt, quibus poſteriores explicarunt & aperuerunt magis hanc peccatorum diuerſitatē. Inueniuntur igitur hæc vocabula apud Magiſtrum ſententiarū diſtinc. 42. ſecundi: & poſt illum apud reliquos omnes: item in Richardo & Hugone de ſancto Victore & ſimilibus contemporaneis ferè Magiſtri: nec certè ſine aliqua authoritate ſcripturæ & patrum. Nam peccatum vocari mortale, apertè conſentit cum verbis Iacobi: Generat (inquit) mortem: & Sapientis: Os quod mentitur, occidit animam. Et Paulus apertè dicit: Stipendium peccati mors. Et rurſum: Prudentia carnis mors eſt. Et iterum de viduis: Vidua quæ in delitiis eſt, viuens mortua eſt. Et innumera ſunt de hac re ſcripturæ teſtimonia. Veniale etiam ab Auguſtino dicitur lib. de bono coniug. c. 10. & 11.

& 11. cap. quod Paulus ſecundũ veniam concedit: vſus videlicet aut contractus matrimonij, nõ generationis cauſa, ſed delectationis, intra limites tamẽ honeſtatis. Sic enim ille interpretatur (vt ſuperius diximus in tractatu matrimonij) verbum illud: Hoc autem ſecũdum indulgentiam dico: vbi Auguſtinus legit, ſecundum veniam. Vnde inquit ipſe: Quis ambigat abſurdiſsimè dici, non eos peccaſſe, quib⁹ venia datur? Vnde venialem (inquit) habent culpam, excuſante illam matrimonio: pulchrè illo loco oſtendens, quantũ diuina ordinatio in hoc poſſit, vt grauius (inquit) ille peccet, qui ſola prolis cauſa, & quidem rarò, non tamen ad ſuam accedit (mortaliter ſcilicet) quã qui ad ſuam ſola delectatione & frequentius: hic enim duntaxat venialiter peccat. Itaque ex his Auguſtini verbis, imò & Pauli, peccatum veniale meritò dicitur

tur

tur,quod non habet deordinationem à fine,nec illud ſequitur æternæ pœnæ reatus. De quolibet eorum dixiſſet Paulus,ſe dare veniam. Hæc itaque de ratione peccati venialis in genere ſint nobis dicta: ex quibus intelligi poteſt & mortale, de quo, vt notiore, non eſt opus plura dicere.

*Peccatũ eſt veniale, vel ex genere, & obiecto ſuo. vel ob imperfectionẽ actus.*

Iam de ipſo veniali peccato ſpecialius agendum, vt agnoſci poſsit & diſcerni à mortali. Hęc igitur ſit prima diſtinctio venialis peccati. Aliud eſt ex obiecto ſuo & genere veniale: aliud ex imperfectione tãtũ actus: quam diſt. beatus Thomas diligenter conſiderans explicauit in hac materia. Ex genere venialia ſũt, quorum obiectum nõ repugnat ordini in vltimum finem. Sicut enim ſuperius explicauimus, natura, ſpecies ſiue genus actuum noſtrorum ex obiecto ſumitur: eſt enim hoc primum in humanis actibus. Peccatum igitur il-

*1.2.q.88 art.2.*

lud

lud cuius obiectum non eſt aliquid contrarium charitati Dei vel proximi: vt mendacium iocoſum, ſiue officioſum, quod nullum lædit et alicui prodeſt, verbũ ocioſum ſine cuiuſq; detrimẽto, & huiuſmodi alia ex obiecto ſuo et natura ſolũ venialia ſunt: ſicut è contrario, homicidium & adulterium mortalia ſunt ex ſuo genere, cùm eorum obiectum contrarium ſit charitati Dei & proximi. Ex imperfectione verò actus ſolùm veniale eſt peccatum illud, quo ferimur in illicita & mortalia obiecta, ſed nõ pleno & integro rationis & voluntatis cõſenſu. Nã cùm ſatis ſuperius oſtẽſũ ſit, actus noſtros non eſſe vel laudabiles, vel vituperabiles, niſi quatenus voluntarij & in poteſtate noſtra ſunt: vbi nõ eſt perfecta volũtas, nõ poteſt eſſe perfectũ peccatũ, etiã ſi feramur in adulteriũ, vel homicidium. Ibi itaque eſt imperfectio actus, vbi imperfectio volũtatis. In his duo

bus

bus ordinibus cõſtituta ſunt oĩa venialia peccata: & eſt nobis de ſingulis in ſpeciali dicendum.

# Lec. Octaua,

## DE PECCATO VENIALI
*appetitus ſenſitiui, & primis motibus.*

VT, quantũ fieri poteſt, peccata venialia à mortalibꝰ diſcernantur (quod certè in primis opus eſt in iudicio cõfeſſionis, vt alibi diximus) agamꝰ primò de venialibus ex ſola imperfectione actus: quoniam hæc conſideratio habet ſimul coniunctam alteram, quæ eſt de principio, progreſſu, & conſummatione peccatorum in nobis: quod in hoc principio putamus diligenter eſſe conſiderandum. Cùm enim hominũ ſit paulatim ab inferioribus & imperfectioribꝰ ad ꝑfectiora & ſuperiora progredi: id & in bono, & in malo cõmune

ne

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ne eſt hominib⁹. Ad peccata mortalia non ſubitò venitur, quæ ſunt maxima, ſed primò ad venialia & leuiora, deinde ad mortalia progredimur. Hoc igitur hîc ante omnia cõſiderandum: ex quo, quod iam quærimus de imperfectis actibus peccatorum, inueniri poteſt.

Tribus igitur modis docent patres peccatum ſiue tentationẽ in nobis eſſe: ſuggeſtione videlicet, delectatione, & conſenſu. Ita beatus Gregorius in homilia de Euangelio illo: Ductus eſt Ieſus. Qui reuerà tres ſunt gradus peccati: quibus videlicet ab infimo ad ſummum venitur: quos & B. Auguſtinus 12. de Trinitate, diuerſis nonnihil verbis, ſed eodẽ ſenſu annotauit. Ex quo etiam Magiſter ſententiarum hos ipſos poſuit, & ſequuti ſunt eum reliqui. Oſtendit itaque diuus Auguſtinus tria illa, quæ in primorũ parentum noſtrorum peccato inuenta ſunt, hiſtoricè nimirum &

*Diſtin. 24. 2.*

*Tria cõcurrũt ad peccatum.*

iuxta

iuxta literam: ſerpentem videlicet ſuggerentem, mulierem ſeductam, & virum conſentientem, virum denique conſummantem & perficientem, in quolibet peccato noſtro inueniri: de qua expoſitiõe dicemus paulatim, Nũc ſatis ſit dixiſſe, illa tria priora Gregorij, iſtis conuenientiſsimè reſpondere, & ex iſtis nobis eſſe agnoſcenda. Primò enim fuit ſuggeſtio, hoc eſt, propoſitio et perſuaſio ad peccandũ: Nequaquam moriemini &cę. Eritis ſicut Dij &c. Quod certè primũ eſt in peccato, cogitatio videlicet ipſiꝰ, & bonorũ omniũ apparentiũ, quæ in eo ſunt. Hoc vocat Gregorius ſuggeſtionẽ, & conſtat à ſerpẽte factũ: de quo nunc nobis agendũ.

*Principium peccati mala cogitatio.*

Principium igitur peccãdi cõſtat cogitationem aliquam eſſe, qua incipit peccatum cogitari, vt delectabile vel vtile. Hanc cogitationem nonnunquam immittit diabolus; & hac ratione dicitur principium peccatorum: &

hoc vel per ſeipſum, vel per aliàs cauſas. Poteſt ille memoriæ vel imaginationi noſtræ formam aliquam repræſentare. Poteſt quoque exterius (quod nonnunquã in ſanctis curauit) in honeſtam mulierem aut huiuſmodi aliud obijcere. Inſurgunt etiam cogitationes hæ nonnunquam, vel ex naturali aliqua diſpoſitione, aut ex culpa, cùm vel viſu, vel auditu hauſim⁹, quod poſtea in imaginatione verſatur: nonnunquã ex ipſa corruptione vel infirmitate naturæ noſtræ. Vbi (vt admonent patres) magis conſiderandum quid cogitemus, quàm ex qua cauſa: etſi nonnunquam proderit aduertiſſe, an ex culpa aliqua noſtra, an malitia dæmonis ortæ fuerint tales cogitationes malæ. Illud tamẽ hîc conſiderandũ, in huiuſmodi cogitationibus duntaxat, ſi nulla adſit appetitus delectatio aut propẽſio, nullum eſſe peccatũ. Vnde Gregorius Chriſtum Dominum à diabo-

lo-

lo tentatum fuiſſe ſuggeſtione tãtùm,inquit. Audiuit illũ proponentem ſibi gulæ,ambitionis, & auaritiæ peccata, & illorum commoda: nec opus eſt credere id non cogitaſſe: at verò nullus in eo vel minimus appetitus ad ea excitatus eſt. Quanquam in nobis rarò hæc ſeparari poſsint, vt ſine affectu aliquo cogitemus. Suggeſtio igitur in nobis (quam Auguſtinus dicit ſerpentem facere) eſt, cùm non nuda cogitatio verſatur, ſed appetitus ipſe ſenſitiuus in peccatum ipſum(quod circa bonum ſenſibile eſt)propenſus, rationem pulſat. Itaque primi illi motus appetitus noſtri in illicita & peccata,ante cõſenſum quidem rationis exorti, ſed ipſam allicientes, ſunt ſuggeſtio ipſa ſerpentis:quã Auguſtinus intelligit(& meritò quidem)partem hanc noſtrã ſenſitiuam, quam communem cum brutis habemus,in qua proculdubio regnat ſathan. Fatetur

*Suggeſtio peccati.*

Paulus: Nõ habitat in carne mea bonum. Serpentem intelligimus inimicum humano generi, cuius caput, hoc eſt, principium cõterendum eſt. Vnde & ſathanas ipſe, ſicut tunc ſerpentem induit, vt tentaret mulierem, ita nunc appetitum noſtrum, ex ſe, & corruptione peccati in malum propenſum, excitat & inflammat, nõ tantum obijciens mala, ſed in ipſo appetitu per qualitates conuenientes generans vel iræ, vel cõcupiſcentiæ motus. Et hoc eſt iam primum initium peccati: in illicitis videlicet primis noſtris motibus conſtitutum. Quare de illis nunc agendum. Primi igitur motus (quanquam non eodem modo ab omnibus accipiantur, ſed inter eos magis eſt diuerſitas de nomine) iuxta probabiliorem modũ illi ſunt, qui in nobis deliberationem rationis præueniũt. Vnde ex ijs quæ ſuperius dicta ſunt de potentijs rationabilibus, & irrationabilibus, facile oſtendi

*De primis motibus.*

di poteſt. hos primos motus, hoc eſt, actus deliberationem ratiõis præcedentes, in tribus generibus potentiarum inueniri poſſe. De quibus ſigillatim dicẽdum, quomodo, & quod peccatum in eis inueniatur.

Primò igitur ſupradicta conſiderantibus, occurrunt nobis motus potentiarum vegetatiuarum, quas ſuperius diximus rationi non parére: vt fames, vel quicunque alius appetitus, ex ſola qualitate corporis proueniens & diſpoſitione, & nullam ſequẽs apprehenſionem ſeu cogitationem. Hos placet multis vocare motus primò primos, hoc eſt, maximè primos, & minus, imò prorſus non in poteſtate noſtra exiſtentes: in quibus, quantũnis in illicita aliqua ferantur, nullum eſt peccatũ. Vt ſi quis in die ieiunij nimiũ fameſceret, aut appeteret cibũ aliquẽ prohibitũ. Ita fuit fames in Chriſto ſine vllo proculdubiò peccato. Huiꝰ ratio



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

manifeſtiſsima eſt. Nam hi motus nullo modo ſunt rationi ſubditi, quare omnino extra voluntarij rationem ſunt. Nullum itaque in his peccatũ, ſicut nec meritum. Poſt hos aſcendentes inueniemus motus appetitus ſenſitiui, ex apprehenſione ſenſibilium & corporalium bonorum emanantes: quales ſunt oẽs paſſiones quas diximus, ſeu affectiones appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis, deſiderium alicuiꝰ delectabilis, gaudium de illo præſenti, triſtitia de malo aliquo & nociuo. In his igitur, cùm ad illicita feruntur, peccata venialia eſſe, ſcripturæ & patribus eſt cõſentaneum, vt b. Thom. poſt Magiſtrum quidẽ aſſerit, etiã ratione ipſi naturæ cõſona id probãs. Et hos motus etiam multi vocãt ſecundò primos. Primos, quia præueniunt rationem: ſed non omnino primos, quia poſſunt à ratiõe cõprimi, vt ſupradictũ eſt. Quòd igitur in eis peccata ſint po-

*diſt. 24. 2. quæ. 3. art. 1. et 2. & 1. 2. q. 74. art. 3.*

poteſt illa ſententia Pauli oſten- Rom. 7.
di, qua ipſe hos motus in illicita
lamentabiliter in ſe agnoſcit. Nõ
quod volo bonum hoc ago, ſed
quod odio malũ, illud facio, &c.
ſcilicet concupiſcere. Itaque illud
malum vocat, & imperfectio-
nem quandam boni. Nam de eo
intelligit d. Auguſtin. quod ibi-
dem ait: Velle adiacet mihi, per-
ficere autem non inuenio, &cæ.
Vnde: Non habitat in me, hoc
eſt, in carne mea bonũ. Et quan-
quam hæc de fomite & habitua-
li inordinata concupiſcentia, quę
manet poſt baptiſmum, intelli-
gi poſsint: quæ peccatum & ma-
lum dicitur, vt alibi explicaui-
mus, quia cauſa eſt peccati: tamẽ
actus & motus illius in illicita,
Paulus mala quædam deflenda
confitetur, pro quibus clamat:
Infœlix ego homo, &cæ. & ad-
dit: Gratia Dei per Ieſum Chri-
ſtum. Denique docet etiam hos
motus mortificandos eſſe & cõ-
primendos: Si ſpiritu (inquit) Rom. 8.

facta

facta carnis mortificaueritis, vi-
uetis, &cæ. Et quāquam facta car
nis de omnibus peccatis carnis
intelligi poſsint, tamē & hos mo
tus intelligendos eſſe oſtendit il-
lud quod dicit: Caro concupiſcit
aduerſus ſpiritum, &c. Meritò igi
tur Auguſt. dicit in his motibus
nonnullum peccatum eſſe, quan-
quam minimū certè, & ideo ve-
niale ex imperfectione actus, vt
nunc agimus de veniali. Vbi hoc
duntaxat difficultatem aliquam
ingerit, & circa eam etiam diuer
ſitas quædam eſt inter nos, ſed
magis de nomine: quomodo vi-
delicet motus rationem præue-
nientes, peccata eſſe poſsint, cùm
in eis non ſit voluntarium. Qua-
re nonnulli putāt, peccatum hoc
veniale eſſe omiſsionem ratio-
nis non comprimentis hunc mo
tum: ſed (vt diximꝰ) hæc nomina
ſunt. Apertè itaque dicendum, in
his motibus eſſe peccata, quia,
cùm à ratiōe comprimi poſsint,
imò & caueri ne inſurgant, ſi ſi-
gilla-

gillatim ſinguli conſiderentur: in eis eſt aliquid voluntarij. Quia tamen non omnino rationi pa-rent, & omnes ſimul cauere hu-mana infirmitas non præualet, ſed fit, vt dum vni cauendo eſt intenta, inſurgat alius, vt in-quit b. Thom. non eſt in his per-fectum voluntarium, ſed imper-fectum tantum: atque ideo im-perfectum etiam peccatum: ve-niale ſcilicet. Denique rectè dici poteſt, quòd, etſi cùm ſubitò ac primò inſurgunt, non ſint in po teſtate noſtra: ſemper tamen in eorum cõtinuatione aliquid vo-luntarij inuenitur. Satis itaq; ſit, hæc cenſenda eſſe peccata, ſed nõ quæ per ſe damnare poſsint ho-minem: vt apertè contra natu-ram ipſam humanam nonnulli doctores, & noſtri temporis he-retici clamant, primos mot⁹ per ſe peccata mortalia eſſe: præter-quã quòd gratis à Deo nõ impu tentur fidelibus. Quid magis cõ-tra humanã naturã, quàm fateri

motũ illum, cui ſancti repugnãt, cui nullo modo conſentiunt, quẽ verè & efficaciter deteſtantur, vt ipſi fatẽtur: eos apud Dei iuſtitiã æternæ mortis reos facere?

Eſt etiam tertium genus primorum motuum in ipſa rationabili parte noſtra: nec ſolùm in ratione inferiori; ſed etiam in ipſa ſuperiore ratione, quæ intẽta eſt inſpiciendis & conſulendis æternis rationibus, vt ſupradictũ eſt. Quia igitur hæc pars per participationem rationalis, ſed eſſentialiter ipſa ratio eſt: videri poterat non eſſe in ea motus primos: ſed ſi bene conſideretur, ſunt in ea motus præcedentes deliberationem. Poteſt enim etiam ſuperiori rationi cogitanti de deo & de rebus diuinis, occurrere ſubitus aliquis motus aut dubitationis, aut diffidentiæ. De quo videtur illud Pſalmi poſſe intelligi: Qui ſaluum me fecit à puſillanimita-
*Arti. 9. & 10.* te, & cætera. Meritò igitur beatus Thomas inquit ſupradicta quæ-
ſtio-

ſtione, quòd in ratione, vt dire-ctiua eſt actionum noſtrarũ & inferiorum virtutum, non inue-niuntur primi motus. Hoc enim non agit ratio niſi deliberando. Sed ſecũdum quòd ipſa cogniti-ua eſt ſuorum propriorum obie-ctorum, poteſt ſubitum aliquid ei occurrere, quod cogitet, & in quod feratur appetitus etiam ip-ſe rationalis ſubitò. Et hæc ea-dem ratione conſtat eſſe ſolùm venialia peccata, cùm ſint circa il-licita: vt (ſicut diximus) motus infidelitatis, ſuperbię, deſperatio-nis: & eiuſmodi: qui quanquam nonnunquam poſsint tribui ap-petitui ſenſitiuo, ſunt nihilomi-nus ſæpè ſolius rationis: ſemper tamen ſunt non perfectè volun-tarij, & ita ex hac imperfectione venialia tantùm peccata, de qui-bus nunc agimus. Satis itaque de his diximus.

LECTIO

# Lectio Nona.

## DE PECCATO DELE-
*ctationis in cogitatione peccati.*

POST principium hoc de quo iam dixim⁹, primorũ ſcilicet motuum, in quibus venialia tantum peccata ſunt: ſequitur proximus huic gradus: cùm ſcilicet non ſolùm illecebra peccati mẽtem tangit, ſed cùm iam ſola cogitatione illicitarum rerum mẽs oblectatur ante conſenſum in actũ ipſum: quod dicere poſſum⁹ eſſe delectationem peccati. Hunc gradum Aug. in myſtica illa expoſitione peccati primorum parentum ſignificatum intelligit, cùm mulier vidit pomum quòd eſſet bonum, &c. tulit atq; comedit: intelligẽs videlicet hunc eſſe proximum gradum ad conſummationẽ peccati, cùm poſt ſuggeſtionem ſerpentis incipit iam mẽs ſola illicita cogitatiõe delectari:

ctari: vnde aſcenditur ad conſenſum in ipſum actum peccati. Nō quòd ſemper neceſſarium ſit hoc priꝰ inueniri: ſed certè frequēter. De quo illud certò conſtat, quòd non ſolùm peccatum committitur, cùm in actum ipſum conſummatum peccati conſentimus: ſed etiam cùm negantes conſenſum actui, ſola cogitatione delectamur conſenſu pleno rationis: quod peccatū Auguſt. in ratione eſſe dicit, quanquam & cogitatio ipſa, & delectatio, in quibuſdam peccatis ad inferiorē partem pertineat: in peccatis videlicet carnalibꝰ, & in omnibꝰ alijs quę in rebus aut exterioribꝰ, aut īterioribus ſenſibꝰ apprehēſibilibus ſita ſunt: vt in fornicatione, homicidio, furto, & cęteris. Hæc enim oīa præſentia exterioribus ſenſibꝰ cognoſcūtur, abſentia interioribus cogitantur, & vtroque modo ad appetitum ſenſitiuum pertinent. Cæterùm quia (ſicut diximus) ſunt etiam primi mo-

*Peccata delectationis in cogitatione, etiā ad rationem pertinēt, ſed inferiorē proprie.*

tus in ratione,poſſunt in ea quo=
que eſſe hęc cogitationis peccata:
cùm videlicet de infidelitate, aut
præſumptione, & fortè ſuperbia
cogitatur. Hæc enim non ſenſi=
bus,ſed ſola ratione comprehen=
duntur:neque appetitus ſenſiti=
uus,primò & propriè,ſedvolũtas
delectatur illis. Omnia tamen,
etiam carnalium cogitationum
peccata rationi tribuit Aug. ra=
tioni(inquam)volunt ati coniun
ctæ:quia ad eã pertinet mot⁹ in=
feriorum virium,ſicut & ſuos or
dinare & illicitos cõprimere, cũ
eos viderit inſurrexiſſe. Cũ ergo
id nõ facit,rectè tribuitur illi pec
catũ:ſicut gubernatori ſubmerſio
nauis,cùm omittit quæ ad eã cõ=
ſeruandam prouidenda erant, vt
qu. 74. ar. 5. 1. 2. ar. 4. b. Thom. explicat. Peccatum enĩ
omne mortale(vt ibidem inquit)
meritò rationi tribuitur ſiue ra=
tionali appetitui: quoniam non
niſi ex eius conſenſu inferiorum
virium motus peccata ſunt. Nec
rationis tantum vocat Aug. hoc
pec=

peccatũ ſed rationis inferioris. Cũ enim (vt ex ſuperioribus patet) duo ſint officia rationis noſtrę: alterum verſatur circa res corporeas, cõmoda videlicet vel incõmoda corporis & ſenſuum cogitanda & prouidenda: alterum circa rationes illas æternas, & incommutabiles veritates (de quib. ſuperius diximus) & inſpiciendas & conſulendas, & deniq; circa vitã ex eis gubernandam & dirigendam. Sic enim Augu. putat hæc optimè cõuenire myſticæ illi ſignificationi primi peccati: vt videlicet per mulierẽ, intelligatur nõ caro ſecundũ quã ſimiles ſumus alijs animalibus, ſed pars quædam rationis à ſuprema illa quodãmodo deciſa, ſicut mulier à viro: illa videlicet, quæ huic corporeę vitę adminiſtrandæ dedita eſt. Hæc (inquit ille) adiutorium eſt ſuperioris rationis, cui ſimile nõ inuenitur ĩ animalib. Cũ itaq; hęc vocetur inferior ratio, ad eã pertinet iudiciũ, nõ illud ſupre-

mum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mum & vltimum, quo iudicamus de operibus noſtris ſecundum leges æternas : ſed infimũ illud & generationis ordine primum iudicium, quo ſecundum leges ex corporib⁹ ſumptas iudicamus. Sunt itaq; in nobis quaſi duo tribunalia: alterum, vbi ratio ſecundum commoda & incommoda corporum & ſenſuum iudicat de rebus : hoc eſt rationis inferioris: alterum, vbi ſecundũ leges æternas iudicatur : & hoc eſt ſupremum rationis ſuperioris iudicium. Cæterùm in omnibus ordinatis tribunalibus ad inferius pertinet, de minoribus, & primis ac quaſi præambulis rerũ iudicare. Ad ſupremum pertinet vltima, & quaſi omnium definitiua ſententia. Hæc verò duo de quibus loquimur, ſcilicet delectatio cogitationis illicitæ, & actus ipſe illicitus conſummatus, ſic natura ordinata ſunt, vt illud min⁹ ſit: & prius generationis ordine oriatur: hoc verò ſupremum &

vltimum, poſt quod nihil aliud deliberandum reſtat. Meritò igitur conſenſus in illicitam cogitationem inferiori rationi & tribunali: conſenſus verò in actum ſuperiori tribuitur: quanquã (vt Auguſtinus inquit eo loco) toti[9] hominis ſit vtrumq; peccatum. Et certè dici poteſt vtriuſque rationis. Ex vtriuſq; enim officio eſt illicitas cogitatiões cohibere. Et quia illa infima ſunt, proximè ad rationẽ inferiorẽ pertinẽt, ſicut proximè tẽtatio ſerpentis mulierẽ tetigit, & pri[9] illa delectata eſt, quàm cõſummaretur totũ illud peccatũ. Hæc itaq; dicta ſint de ordine huius progreſſus ex ſenſu b. Auguſtini: vt non tantum ipſa vocabula, quibus ille loquitur & ab illo alij mutuati ſunt, agnoſcamus: ſed etiam pulchram quãdam habeamus cognitionem noſtri. Iam reſtat vt quale & quantum peccatum ſit in illicitis cogitationibus, dicamus. Circa hoc igitur primò eſt ſtatuendum, ſo- *Quantũ peccatũ*

lam

ſit delectatiõis ſi ſola cogitatiõe illicita.

12. de tri cap. 12.

lam delectationem voluntariam in illicita cogitatione, ſolam (inquam) ſine conſenſu in ipſum opus peccati, peccatũ eſſe eiuſdẽ generis, cuius eſt actus ipſe de quo cogitatur, mortale videlicet, ſi actus mortalis: veniale, ſi venialis ſit actus. Hoc aſſeruit Au. Nõ (inquit) negãdũ. eſt eſſe peccatũ, cùm mẽs ſola cogitatione oblectatur illicitis, nõ quidẽ decernẽs ea eſſe facienda, ſed tenens tantũ & voluens libenter, quæ ſtatim cũ animũ attigerunt, reſpui debuerũt. Hoc itaq; dicit eſſe peccatũ, ſed lõgè minꝰ, quàm ſi opere ſtatuatur faciendũ. Vbi, quia lõgè minꝰ dicit: nõ propterea intelligit non mortale. Nã eodẽ loco poſtquã dixerat pro huiuſmodi cogitationibus tũdendũ eſſe pectus, veniã petendam, tandem, inquit, totus homo damnabitur, niſi hoc peccatũ ſolius cogitationis, quod ſine voluntate operandi, ſed cũ voluntate talibus oblectandi admittitur, per gratiam mediatoris re-

mit-

mittatur. Itaque apertè docet Aug. in ſola cogitatione delectari, mortale eſſe. Vbi certè ſubindicat rationem, quam b. Tho. poſtea latius explicauit. Delectari his cogitationibus nõ eſt aliud, quàm illis affici, & in eis ſibi placere: hoc autẽ non eſt aliud quàm animũ propenſum habere in illicita: Si igitur hoc voluntarium & deliberatum fuerit, conſtat eſſe voluntarium affectum in illicita, quod Aug. indicat dũ ait: cũ mens oblectatur in illicitis. Rurſum motus appetitus ſenſitiui in illicita & mortalia excuſantur ex rationis inconſideratione: cũ igitur iam ratio cõſiderauerit, nõ habent vnde iam excuſentur. Hoc eſt enim quod Auguſt. etiam inquit: peccari, quia tenetur & voluitur libenter, quod ſtatim cùm animum attigit, reſpui debuit. Itaque habendum eſt vt certiſsimum, omnẽ appetitũ volũtariũ, hoc eſt, omnem propenſionẽ & affectionem in illicita cum

rationis conſenſu, illicitam eſſe ea ratione, qua ipſe actus illicitus eſt. Et quanquam hoc poſſet ſufficere, à poſterioribus tamẽ multa addita ſunt, quæ pertinent ad ſpecialem conſiderationem, qualis in materia morali neceſſaria eſt, de quibus pauca breuiter ſunt nobis annotanda. Duo igitur cõſideranda ſunt, vt de his iudicari poſsit. Alterum ex parte voluntarij: alterum ex parte obiecti, quo in cogitatione delectamur. Circa primum igitur conſtat, tripliciter rationem & voluntatem ſe poſſe habere circa cogitationẽ illicitam. Primò, cùm plenè conſentit illi: quòd apertũ eſt peccatũ. Secundò cùm illi etiã apertè contradicit: vbi etiam cõſtat non ſolùm non eſſe peccatum, ſed potius virtutem & meritum. Itaque hęc duo, tanquam extrema, certa ſunt, Circa quæ hoc eſt aduertendum præcipuè, plenum rationis conſenſum aut diſſenſum præréquirere plenam etiam &

*Quando ſit plenus*

in-

integram aduertentiam: vt ſcilicet perfectè attendat, & quid cogitet, & quid ſit cõtra diuina precepta. Si enim vel non aduertit ſe cogitare, vel ſi aduertit quid cogitet, non tamen ſatis aduertit, an illud peccatum ſit, vel contra Dei præceptum, an non: quicquid ante hanc plenam conſiderationem fit, magis ad ſurreptionẽ pertinet, quàm ad volũtatem. Conſulit Deus infirmitati noſtræ & tarditati, & quaſdam quaſi inducias concedit nobis, vt plenè aduertamus & peccatum, & periculum rei quam cogitamus: quæ non ſunt induciæ temporis: non eſt enim certum tempus definitum, intra quod aduertere debeamus: ſed quamdiu in obliuione noſtri, & eorum quæ cogitamus, ſumus, tamdiu nobis nõ imputatur. Plenus ergo conſenſus vel diſſenſus ſequitur plenam etiam conſiderationem. Hæc de duobus illis extremis.

*rationis conſenſ⁹ aut diſſẽſus.*

Eſt verò medius quidam gra-

dus,

*De conſenſu vel diſſenſu rationis non pleno.*

dus, in quo neque apertè conſentire deprehẽdimur, nec diſſẽtire: ſed vel tepiditate quadã & ſomno ita conſideramus illicitas cogitationes, vt nõ ſatis efficaciter illis reſiſtam⁹. Vbi ſunt etiã multi gradus ſecũdũ quòd maior vel minor eſt tepiditas: & in his oĩb⁹ nihil certi definiri poteſt. In vniuerſali tamẽ illud hîc obſeruãdũ, non eſſe opus in his omnibus certũ aliquid definire. Id ſatis erit, vt cũ aduertimus nos cõſideraſſe, nec ſatis agnoſcimus, an, vt opus erat, reſtiterimus, Deo relinquamus iudicium, & magis timeamus culpam, quàm ſecuritatem nobis promittamus.

Eſt quædam negligentia parua, eſt alia maior: relinquamus ea deo iudicanda: & in dubio nos ipſos tanquam peccatores agnoſcamus. Excuſant multa nonnulli: vt cùm quis ſecuritate quadã ductus, cogitationem quam in ſe aduertit, negligit reprimere. Sed hîc eſt ante oculos habẽdum, in

ſcri-

ſcripturis ſacris exhortari nos ad vigilem cuſtodiam noſtri, ad non dormitandum nec oſcitandum inter inſultus inimicorum & tētationes. Omni cuſtodia (inquit Sapiens) ſerua cor tuū &c. Et Dominus in Euāgelio: Vigilate omni tempore orantes. Iterum: Cauete ne grauentur corda veſtra &c. Vnde obliuio cuſtodiæ cordis reprehēditur. Ephraī (inquit Propheta Oſee) quaſi columba ſeducta non habens cor. Et Pſalmiſta lamentatur: Cor meum dereliquit me, &c. Non itaque parū timendū ab illis cogitationibus illicitis, quas oſcitanter repellimus. Verum eſt tamē in his omnibus, multum referre, qualis ſit cuiuſque diſpoſitio.

*Prouer. 4. Luce 21. ibidē. Oſeæ. 7. 2. paral. 30.*

Scriptū enim eſt meritò, Deum propitiari ignorantijs ſiue omiſſioni eorum qui toto corde quęrūt illum. Quare longè aliter in his dubijs cēſendū eſt de eo, qui ſuper cuſtodiā ſui vigilat, & alienus eſt à prauis affectibus: aliter

de

de eo qui præceps in quæcunque illicita rapitur & ruit. Illud non omittendum, quòd in his motibus nonnunquam non ſtatim appetitus paret rationi. Poſſunt itaque perſeuerare nonnunquam renitēte etiam ratione: ſed quando perſeuerāt poſtquam animaduerſi ſunt, nec conſtat contradixiſſe rationem: timēdum eſt valdè eam cōſenſiſſe. Sed dubia oīa relinquantur iudicio Dei, & humili pœnitentia illorum à Deo poſtuletur venia.

*De delectatione quæ ex cognitione percipitur.*

At verò circa obiectum hoc eſt conſiderandum, non ſemper delectationem conſequentē cogitationem eſſe de ea re quæ cogitatur, ſed nonnunquam de ipſa cognitione. Conſtat enim cognitionem tantum, etiam rerum malarum & alienarum ab affectu nonnunquam delectare. Eſt enī cogitatio per ſe bona & delectabilis, etiam mali: ſicut ſciētia mali eſt bona. Igitur ſi illicita cogitentur vt agnoſcantur, & vt de il

lis

lis vel ab alijs doceri, vel ipſi do-
cere poſsimus, & in eorũ cogni-
tione, quia perſpicua eſt, & quia
inuenta ſunt quæ quærebamus,
delectemur: nullum peccatum
eſt, niſi fortè curioſitatis. Itaq; cũ
vel de cognitione occulti prius,
vel de adinuentione aliqua ſubti
liori lætamur duntaxat, non eſt
propriè peccatum illius generis.
Vt ſi quis adiueniat & excogitet
nouas aliquas rationes inuaden-
di inimicum, aut ſurripiendi alie
na, & hac inuentione delectetur.
Si verò delectatio ſit de re ipſa
quam cogitamꝰ: vt de adulterio,
homicidio, & eiuſmodi alijs: ma
nifeſtus eſt conſenſus in illicita
& complacentia volũtaria. Hoc
verò quando dubium eſt, ex ſta-
tu maximè & affectu proprio pẽ
ſandum eſt. Qui nihil afficitur re
bus quas cogitat, & tamen dedi-
tus eſt adiuentionibus: credi po-
teſt illũ magis cognitione, quàm
re cognita delectatũ fuiſſe. Cęte-
rùm qui (vt diximus) totus affe-

ctus eſt illicitis quæ cogitantur, meritò timere debet. Circa obie-ctum etiam ſcrutantur nonnul-li, qualiter illicitum eſſe debeat quod cogitatur: an videlicet vi-duæ liceat cogitare de actibus ma trimonij, aut marito in abſentia vxoris. Illa enim licita ſunt, nec dubium eſt ſanctè viduam gau-dere de generatione filiorum, & alijs ad matrimonium pertinen-tibus. Eſt tamẽ conſiderandum, quòd in cogitationibus carnali-bus delectari extra licitos ipſos actus, manifeſtè ſit delectatiõem quærere, vbi non licet. Nec enim licet extra actus ipſos matrimo-nij. Semper itaque hæc timenda ſunt & fugienda, præcipuè his, qui rebus quæ cogitantur affecti ſunt: Quorſum enim attinet, vt is qui cupit ſe de inimico vindi-care, ſic cogitet & delectetur: ſi li citum mihi eſſet, ſic occiderẽ aut læderem inimicum: aut ſic forni carer, ſi eſſet licitum? In his ita-que omnibus melius putam⁹ ſim plici-

pliciter ſentire, quàm ſubtiliora
quædam excogitare: maximè ex
quibus vel laxentur habenæ, vel
excuſentur negligentiæ, quæ in
his non ſine periculo ſunt. Puta-
mus in his materijs quieſcēdum
intra limites quos habemus à pa
tribus. Si quis ſcrupuloſius agere
velit, is potius eſt continendus
& exhortandus ad timorē, quàm
permittendus. Hic itaque de quo
loquuti ſumꝰ, ſecūdus gradꝰ eſt in
progreſſu peccati: & in eo primū
inuenitur mortale, vt diximus.

*Cōſēſus ĩ actum peccati cōſummat peccatum.*

Eſt verò tertiꝰ gradus, in quo
eſt conſummatio peccati: conſen
ſus videlicet in opus ipſum; quē
Augu. dicit pertinere ad virum
ipſum, vt iam explicauimus. Nec
hîc pluribus opꝰ eſt, quàm vt no
uerimus, iuxta ea quæ ſuperius
dicta ſunt, propterea in conſen-
ſu in actum peccatum cōſumma
ri, quia quod attinet ad volunta-
rium, exterior operatio nihil ma
litiæ addit, niſi fortè per acci-
dens: quia videlicet vel intēditur

voluntas, vel extẽditur, vel mul-
tiplicatur inter operandũ. Neque
conſenſus in actũ alterius gene-
ris peccatũ eſt, quàm ipſe actus.
Quare id iam tantũ reſtat, vt de
mortali & veniali peccato ex
ſuo genere dicamus: quãdoquidẽ
de differentia, quæ eſt ex imper-
fectione actus, ſatis eſt dictum.

# Lect. Decima

## DE DIFFERENTIA MORtalis & *venialis peccati ex obiecto, ſiue ſpecie ſua.*

QVoniã, vt ex ſuperioribus patet, ſpecies actus humani propriè & primò ex obiecto eſt: illa eſt inter mortale & veniale peccatũ differentia maxima, quę eſt ex obiecto. Secũdũ illã enim diſtinguũtur ſpecie: & ſunt, hoc quidẽ ex ſpecie ſua veniale: illud verò mortale. Quod iam declarãdũ reſtat. Nã ea de quibꝰ hucuſq; loquuti ſumus, mortalia & venia-

lia

lia,magis per accidẽs diſtinguũtur: vt motus primus in fornicationẽ,& conſenſus in delectationẽ de cogitatione eius,& conſenſus in actum.

Illud igitur hîc ſtatuendũ vt certiſsimũ fũdamẽtũ, quòd omne obiectũ peccati,omne ſcilicet in quod peccando tendimus , ſit aliquid alienũ à recta ratione.Si enim rectè ratiõi eſſet cõforme, nõ eſſet peccatũ illud proſequi: quare dictũ eſt in omni peccato deordinationẽ eſſe aliquã . Cũ ergo ita ſit ,duo,tanquã regulæ & baſes ſunt nobis ſtatuenda . Primũ.Omne peccatũ,quod fertur in obiectum ſuum contra charitatẽ Dei vel proximi , habet ex ſua propria ſpecie quòd ſit mortale. Secũdũ,Illud quod fertur in ſuũ obiectũ,nõ cõtra dilectionẽ Dei & proximi, ſed vel tantillũ illã remorans,ſolùm eſt veniale in ſua ſpecie.Qando itaq; actꝰ ex proprio obiecto habet quod repugnet charitati, eſt mortale ex

*Quomodo peccata venialia & mortalia diſcernẽda in genere.*

genere: cùm verò non, eſt tantũ veniale, ſi aliqua ex parte repugnet rationi. Hæc eſt prædictorum ratio. Quia (vt diximus ex Paulo) omnium præceptorum finis dilectio Dei & proximi eſt. Explicauimus hęc latius alibi ex ipſis euangelij verbis hoc oſtendẽtes, vbi apertè Chriſtus docet, vnicũ ſe præceptũ tradere. Hoc eſt (inquit) præceptũ meũ, vt diligatis inuicẽ. Vbi apertè innuitur, quòd hoc ſeruato, omnia ſeruãtur. Cõtra hoc igitur eſt oẽ peccatũ. Et cũ duo præcepta explicaſſet de dilectione Dei & proximi, ſubiungit: In his duobus mãdatis vniuerſa lex pendet et prophetę &c. Oſtẽdimus etiã natura ipſa ſatis conſtare, in omni amicitia quædã eſſe, propter quę illa meritò ſolui debeat: & hæc ſunt illi cõtraria. Alia verò, quæ etſi nõnihil vultũ amici auertãt, non tamen ſufficiunt vt amicitia omnino ſoluatur. Quod multò magis in illa ſupernaturali amicitia

*1. Tim. 1.*
*Ioã. 15.*
*Mat. 22.*

citia

citia & chriſtiana, charitatis videlicet obſeruandū eſt: quæ certè cùm arctior ſit & fortior cęteris, bonitatiq; diuinę innitatur, non ſoluitur leui⁹. Hæc itaq; cōſideratio, ſi intellectu ab oībus tenebris alieno, & luce veritatis illuſtrato attēdatur, ſufficeret ad diſcernendū mortale à veniali: vt videlicet iudicem⁹, an inordinatio quæ in peccato eſt, ſit digna propter quā diſſoluatur amicitia, & meritò poſsit amic⁹ odio haberi: an verò minor. Verū qa in ſpeciali multa occurrūt, in qbus nō certò hoc iudicari poteſt, maximè ab intellectu min⁹ exercitato (nec enim parū eſt quod Pau. inquit, exercitatos habere ſēſus pro ipſa cōſuetudine ad diſcretionem boni & mali, maioris vel minoris) op⁹ eſt in ſpeciali alia addere, quib⁹ hoc etiā magis explicetur. Heb. 5.

Sit itaq; hoc quod dictū eſt, veluti primū & communius principium. Sub illo poſſum⁹ tria ſpecialia ſtatuere ex breui tracta-

 tulo

tulo Richardi de ſ. Victore, de differentia peccati mortalis & venialis: qui (quãuis breuiter) quędã non parum conſideratè tradit: Mortale (inquit) peccatũ nõ fit ſine grãdi corruptione ſui, ſine graui læſione proximi, vel ſine magno contemptu Dei.

q. 2 7. d. 4. 1. 2. Hoc cõmodius explicabitur ſuppoſita diſtinctione peccatorũ quã b. Thom. explicat. Sunt quędam peccata in Deum: alia in noſipſos: alia in proximos. Natura enim conſtat homines in Deum, tanquam primam cauſam ſuam & ſupremum dominum ordinari: deinde & ad ſeipſos, ſecundum quòd rationales ſunt: denique ad proximos, ſecundũ quòd ſociales natura ſumus. Omne itaque peccatum ab aliquo horum trium ordinum declinat. Sed quando mortale vel veniale ſit, cogitandum eſt ex ipſa deordinatione: quanta videlicet illa ſit. Parua itaq; deordinatio venialis: magna verò mortalis iudi-

catur. Atque ita iuxta hanc triplicem deordinationem tria dixit Richardus, ex quibus tres poſſumus deſumere regulas. Prima, Peccata quæ contra ordinem ſunt in Deum, ſi quidem magnũ habeant contemptum Dei, mortalia ſunt: ſi verò leuem, non quidem contemptum, ſed vel obliuionem aliquam, vel minus dignam æſtimationem, venialia erunt. Poſſumus exempli gratia dicere, quòd idololatria magnũ Dei contemptum habet: mortale itaque eſt. Minus conſideratũ iuramentum, ſed verum, præter cuiuſque damnum, aliquid irreuerentiæ in Deum continet, ſed nõ magnum contemptum. Ita erit in multis alijs. Euagatio mentis in oratione, minor reuerentia in vſu Sacramentorum, & huiuſmodi, non continent magnum Dei contemptum: Quare in hoc primo ordine mortalia non ſunt ex ſuo genere. Secunda, Peccata quę fiunt in noſipſos, hoc eſt, con-

*Tres regulæ diſcernendi venialia a mortalibus.*

*Prima regula de peccatis in deum.*

*Secunda regul. de peccatis*

*in noſip ſos.* tra ordinē quē nobiſipſis proximè & primò debemus, quæ ſunt cum grandi corruptiōe, hoc eſt, cum magna deordinatione à rectitudine rationis: mortalia ſunt. Quæ verò non magnam deordinationem continēt, venialia tātum. Nonnullus exceſſus in cibo & potu, ſed præter grauem infirmitatem, aut priuatiōem rationis, aut periculum alterius peccati, veniale eſt. At verò ebrietas, omniſque exceſſus rationem abſorbens, mortale eſt. Gula itaq; quæ tantum ſignificat vitium in ſumptione cibi quocunque modo, non eſt ex ſuo genere mortalis: ſed ebrietas, quæ ſignificat exceſſum vſque ad priuationem rationis, mortalis eſt ex ſuo genere. Tertia, Similiter & in his quæ circa proximū ſunt, quæ grauem læſionem continent, ex ſe mortalia ſunt: vt homicidium, furtum & huiuſmodi. Quæ verò leuem, leuiora proculdubiò: vt leuis aliqua & momentanea ira,

*Tertia regu. de peccatis in proximum.*

præter

præter appetitum iniuſti & gra-
uis alicuius damni. Vnde ex ſuo
genere ira non eſt mortalis. Hæc
itaq; ſpecialia magis poſſunt nõ-
nihil aperire viam grauiora à le-
uioribus diſcernendi: quę quidẽ
ex illo primo fundamẽto ſequũ-
tur. Ratio enim peccati mortalis
in eo eſt, quòd ſit contra charita-
tem Dei vel proximi: & hoc ha-
bet magnus cõtemptus Dei gra-
uis corruptio ſui vel rationis, &
magna læſio proximi.

Quia tamen in multis non fa-
cilè iudicari poteſt, quid magnũ,
quid paruum ſit: nec ſibi facilè
quiſquam credere poteſt: optima
ratio mortalia à venialibus diſcer
nendi eſt, quam Auguſt. in En
ch. c. 78. ponit. Quæ (inquit) gra-
uia, & quæ leuia peccata ſint, nõ
humano, ſed diuino penſandum
eſt iudicio. Diuinum verò iudi-
cium vocat, quod ex ſcripturis
ſumitur, & ex ſenſu Eccleſiæ.
Ita ille iudicat eo capite & duo-
bus ſequentibus. Quædã (inquit)
leuiſsi-

*Certior & facilior ratio diſcernendi veniale à mortali*

leuiſsima iudicarentur, niſi in ſcri
pturis oſtenderentur grauiora:
ſicut de eo qui fratri ſuo dicit, Ra
Matt. 5. cha, vel fatue: & de eo fideli, qui
1.Cor.6. cum fratre iudicio contendit, &
hoc apud infideles. Hoc enĩ gra-
uiter reprehẽdit Apoſtol, & Ec
cleſia (ĩquit) grauiter hoc arguit.
At verò vſus matrimonii vltra
1.Co. 7. rationẽ generationis, vitandi for
1.Cor.6. tè alterius peccati cauſa, venia di
citur dignum à Paulo. Et conten
dere in iudicio, etiam apud fide-
les, à Paulo dicitur omnino eſſe
delictum. Nec tamen (inquit) Ec-
cleſia hoc durè vel punit vel ar-
guit. Itaque ſi hæc bene expenda
mus, docent nos grauitatem vel
leuitatem peccatorum non ex ra
tiocinationibus noſtris iudicare,
neq; ex ſenſu noſtro: nã is facilè
hallucinatur. Et materia mora-
li nihil facilius, quàm in vtrãque
partẽ dicere apparenter: maximè
inquit Auguſtinus, minus cre-
dendum eſt iudicio noſtro, cùm
in conſuetudinem aliquam vene

rint

rint peccata. Habet enim hoc ra-
tio noſtra, vt facilè ſeducatur: &
ea quæ cõſueta ſunt, vel nõ aſpi-
ciat: vel ſi aſpexerit, diſsimulet:
& deniq; vel excuſet, vel laudet, *Eſaiæ* 5.
quod in eis malum eſt. Vnde &
illud eſt in ſcriptura: Dixerunt
bonum malum, & malum bo-
num. Et rurſus: Laudatur pecca-
tor in deſiderijs &cæ. Quod ma-
lum Augu. eo loco, & in expoſi-
tione 4. c. epiſtolę ad Galatas, ma
ximè defiendum & cauendũ do-
cet: vnde & citat eum locũ: Do-
loris verba quæ dixerat in eo, ca.
ad Galat. putamus hoc loco ad-
ferenda eſſe. Væ, inquit, pecca-
tis hominum, quæ ſola inuſitata
exhorreſcimus, vſitata verò, pro
quibus abluẽdis ſanguis filij Dei
effuſus eſt, quamuis tam mala, vt
claudant nobis regnum coelorũ,
ſæpe videndo omnia tolerare, ſę
pe tolerando nonnulla facere co
gimur: atque ô vtinam domine,
nõ omnia quę nõ poterimꝰ pro-
hibere, faciamꝰ. Addit ille, an hęc
ver-

ba immoderatus dolor extorſerit, ſe non dicere: ſed vtcunque ſit, valde cauendum hoc malum, ex quo, vtinam non aperta experiētia nos doceret, ſumma mala inuecta eſſe in Eccleſiam: & quod ille ibidem dicit, magno cum ſcandalo contigiſſe iam in populo Chriſtiano: vt videlicet ſint multa peccata, quæ quamuis grauia, quia tamē conſueta ſunt, nullus propterea audet vel excōmunicare laicum, vel degradare clericum: Nec eſt opus exemplis hoc oſtendere: vtinam non tam manifeſtum eſſet, vt poſſet non videri. Habeamus itaq; illā certam regulam, vt in iudicio de peccatis primò ſcripturam conſulamus. Si in ea aliquid graue dicitur, vel inter grauia computatur, omiſſa oī ratiocinatione tale æſtimemus. Vt apud Ezechielem acceſſus ad mulierem mēſtruatam inter homicidia et periuria computatur. Vbi verò nihil certi in ſcriptura habetur, ſen

ſum

ſum Eccleſiæ & maiorũ noſtrorum quæramus: is præferatur omnibus argutijs & apparentiæ noſtræ.

Huic conſiderationi coniuncta eſt etiam altera de humanis præceptis, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue politicis & ſecularibus: quę videlicet ſunt vel à legibus eccleſiaſticis, vel Imperatorũ & aliorũ principũ. Circa iſta enĩ ſunt peccata mortalia & venialia. Nec eſt facilis aut breuis opera de oĩbus his dicere. Illud tamen certũ eſt habendũ, eccleſiaſticas & ſæculares leges non humana aliqua authoritate, ſed iure ipſo diuino obligare ad peccatũ. Nã illud Pauli: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete, &c. Et quod Dñs ait: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: apertè hoc oſtendũt de Eccleſiaſ. prȩlatis qui miniſtri Chriſti ſunt. Et rurſum de ſæcularibus poteſtatibus ſunt apertiſsima teſtimonia. Omnis anima (inquit Paul.) poteſtatib⁹ ſub-

*De eccleſiaſticis, & ciuilibus legibus.*

*Heb. 13.*

*Luc. 10.*

*Rom. 13.*

limioribus ſubdita ſit: &, qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: Vnde ait: Subditi eſtote omni humanæ creaturæ &cæt. Quòd itaque nonnulli humanis ſtatutis detrahunt virtutem obligandi conſcientiam, contrariũ eſt fidei & ſcripturæ. Viderint illi quid præcipiant, ſubditorum eſt illis obedire, non contra Deũ præcipientibus. Leges itaq; iuſtæ ad peccatum obligãt. Nõ (vt hęretici clamant) propter ſolũ ſcãdalum, vel contemptũ, eorum tranſgreſsio eſt peccatũ: ſed ſolùm quia volũtaria eſt inobediẽtia: atque ideo ſicut aliorum diuinorum præceptorũ tranſgreſſio voluntaria præter aliũ contẽptum, vel ſcandalũ, peccatum eſt iuxta quantitatẽ rei de qua agitur: ita in humanis præceptis. Nã de hoc meritò illud Pauli accipi poteſt: Ideóque neceſsitati ſubditi eſtote, nõ ſolùm propter iram,

Rom. 13. ſed etiam propter conſcientiam.

Epheſ. 6. Et illud, de quo rurſus admonet

ſeruos:

ſeruos:Non ad oculum ſeruiẽtes, quaſi hominibus placentes, ſed Deo. Vnde & alibi poſt eandem ſententiã addidit:Sed in ſimplici tate cordis timentes Deũ:quod-cunque facitis, ex animo opera-mini, ſicut Domino,& non ho-minibus. Ex hoc proximũ eſt, nõ obligare omnia ad peccatum mortale:ſed quantum obligẽt,ex intentione legiſlatoris, & mate-riæ de qua præcepta ſunt, ſumẽ-dum eſt.Si de re parua præceptũ fiat,& ſub aliqua leui pœna, vel comminatione tantùm mande-tur: erit tranſgreſsio mortalis.Si verò de re graui,maximè ad ſpi-rituale bonum, vel temporale a-liquod magnum Reipub. perti-nente:vel ſub excommunicatio-ne,aut capitali pœna prohibea-tur, iudicatur mortale.Sed in his omnibus ſunt multa ſpecialia, de quibus non facilè iudicandum: nec noſtræ innitendum rationi, ſed potius Eccleſię,aut maiorum ſenſui, qui non leuiter de his lo-

quuti

*Coloſ. 3.*

*De tranſgreſsiõe humanarum conſtitutionum.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*De diſpẽſatiõe et ĩterpretatiõe legis humanæ.*

quuti ſunt: vt diximus ſuperiꝰ de quibuſdam. Eſt etiam in his humanis præceptis locus diſpenſationi, & interpretationi intentionis legis. Vbi hoc aduertendum eſt, Eccleſiaſtica præcepta æquitate quadam ſuauiſs. poſita eſſe à piĳſsima matre, quę ſalutem quærit, & nõ perditionem filiorum: quare ſuauiter ſunt etiam interpretãda. Itaque cùm vel adeſt rationalis cauſa, vel putatur adeſſe, etiãſi fortè minor ſit, excuſanda eſt tranſgreſsio à peccato: vt de omittente ieiunium, aut obſeruationem diei feſti ex aliqua, quam putat rationabilẽ cauſam: quanquam in dubĳs conſulendus ſit pręlatus, ſi fieri poteſt. De quibus omnibus alibi etiam diximus.

LECTIO

# Lect. Vndec.

## DE EODEM SPECIALIVS.

Ex his igitur quæ ſunt dicta proxima lectiõe colligi poteſt, quanta, & quorum cognitio neceſſaria ſit ad hoc iudiciũ peccatorum habendum in ſpeciali. Cõſtat primò legis Dei & ſcripturę ſacræ cognitionem eſſe neceſſariam, quatenus cõcernit ea quę ad mores pertinẽt: quorum omnium certum eſt decalogum epitomen eſſe & ſummam in qua implicitè multa continentur, quæ explicantur alijs locis ſcripturæ. Ille igitur, ad quem pertinet integrum & abſolutum iudicium de his, neceſſe eſt vt habeat ſcientiam ſcripturæ, eorum (vt diximus) quæ ad mores pertinent. Sed inferioribus ſacerdotibus ſatis eſt cõmunia cognouiſſe,

*Sacerdotẽ ad diſcernẽdũ peccata oportet ſcire Scripturam Decalogum.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſe, & de obſcurioribus dubitare poſſe, vt dictum eſt ſuperius. Ideo illis ſufficit decalogi cognitio ſpecialior quidem & plenior quàm ſecularibus: vt intelligant quid præcipiatur, quídue prohibeatur in eo. & quanti ſit faciendum quod iubetur aut prohibetur. Poſt hæc neceſſaria eſt cognitio etiã præceptorũ Eccleſiæ, & aliarũ cõmuniũ legũ et ſpecialiũ: vt cõſtitutionũ ſynodaliũ cuiuſque dioeceſis, & huiuſmodi quæ pertinẽt ad rempub. idque magis & minus pro tẽpore & loco.

*Præcepta et cõſtitutiones Eccleſiæ.*

Ex pręceptis igitur diuinis & humanis petẽda eſt cognitio peccatorum & trãſgreſsionum. Itaque ex illis duob⁹ ſequitur, quòd etiam neceſſarium eſt ſcire ſingula genera ſiue ſpecies peccatorum: inter quæ illa vitia capitalia tanquam præcipua, & in quibus cætera contineantur, collocata ſunt: quorum etiam ſacerdotibus cognitio ſpecialior neceſſaria eſt. Igitur, vt hæc tria coniungamus,

*Septem peccata capitalia.*

gamus,

gamus, obſeruãdum, omnia pręcepta, quæ ſunt de illis, quæ Deo, & proximo, atq; nobis debemus, eſſe vel affirmatiua, vel negatiua. Affirmatiuis præcipiuntur nobis virtutum opera: negatiuis prohibētur vitiorum actus. Itaq; id quod ſcriptum eſt: declina à malo, & fac bonum: in his duobus generibus præceptorum videmus. Negatiua enim præcipiunt declinare à malo: & ſunt quaſi pręparatio & diſpoſitio ad affirmatiua. Prius enim fugienda ſunt mala, quæ oppoſita ſunt virtutibus: poſtea faciendum bonum, ad quod affirmatiua pertinent. Cõtra hæc duo genera pręceptorũ ſunt peccata omnia: atq; ideo meritò diuidũtur in omiſſionis & commiſsionis. Peccata omiſsionis ſunt contra præcepta affirmatiua: commiſsionis verò contra negatiua: quæ (vt b. Tho. inquit) magis materialiter diſtinguuntur, vt res videlicet quædã naturales, vel poti⁹ vt res, & negatio

*Præcepta ſunt vel affirmatiua, vel negatiua.*

*Peccatũ eſt vel omiſsiõis, vel commiſsiõis.*

*1. 2. qu. 72. ar. 6*

tio. Omiſsio enim tantum negationem ſignificat eius quod agēdū erat. Sed nōnunquā ad eandē peccati ſpeciē omiſsio & cōmiſſio pertinent, ſicut b. Thom. ibidē inquit de omittente ieiuniū eccleſiæ, & ſuperfluè commedēte: vtrunq; eſt gulæ: ſed illud eſt omiſsio, iſtud commiſsio. Si igitur præcepta, & eorum tranſgreſſiones rectè cōſiderētur, poſſunt peccatorum omnium ſpecies agnoſci. Et circa ſingulas opus eſt attenta conſideratione, vt quid mortale, quid veniale ſit, agnoſci poſsit. In qua conſideratione cōſiſtit tota moralis materia: Cùm enim eadem ſit ratio contrariorum, in enumeratione ſpecierum peccati, & cognitione earū, neceſſe erit virtutes contrarias cognoſci. Hoc certè neceſſariū eſt ſacerdotibus, qui de peccatis iudicare debēt. Sed quia nimium eſt longum hoc opus, & à multis qui ſummas ſcripſerūt, latius explicatum, & quidem ſatis ſufficienter,

enter, nos in præſentiarum contenti ſumus communia hæc, veluti principia quædam propoſuiſſe, quæ viam aperient illis legendis & intelligendis.

Igitur de his credimus ex methodo illa confeſsionis, cuius aliâs hic mentionẽ fecimus, & ex Caietani ſumma ſufficientẽ haberi poſſe cognitionem. Occurrũt nonnunquam ſpecialia quędam, propter quę aut legendi ſunt qui plura & latius tradiderũt, vt Sylueſter, & alij: aut conſulendi peritiores. Sed quod attinet ad cõmunia, cum iſtis quæ hic tradita ſunt, duo illi libri ſufficere poterũt. Nos hoc loco, poſt omnia ſupradicta, vniuerſalem quàndã enumerationem virtutum & vitiorum oppoſitorum duximus inſinuandam, vt ex his capita ipſa rerum habeant, & ordinem doctrinæ, qui lecturi ſunt alia. Itaque iuxta triplicem illum ordinem tria prima genera peccatorum diſtinguamus, videlicet:

In { Deum. / Proximum. / Noſipſos.

In Deũ porrò ordinamur prę-ceptis illis quæ ad religionẽ pertinent. Hæc enim vna virtus eſt, qua Deo reddimus cultum debitum: & in decalogo quidem ſunt tria prima præcepta, vbi reliqua omnia quæ ad fidem, ſpẽ, & charitatem pertinẽt, cõtinentur: quibus (vt Auguſtinus inquit in Enchiridio ad Laurẽtiũ) Deus prę-cipuè colitur.

Peccata igitur in deum oĩa ſunt contra { fidem, / ſpem, / charitatẽ.

In quibus includi poſſunt cętera: ſed poſſumus addere quartũ genus eorum, quæ ſunt contraria religioni: & in his omnibus ſunt.

Alia { omiſsionis / commiſsionis.

Contra fidem igitur primum infidelitas eſt, cuius multæ ſunt ſpecies. Proximũ, apoſtaſia ab ipſa

fide

fide. Tertium negatio fidei. Quartum denique, blaſphemia. Et hæc quidē commiſsionis peccata.

Omiſsione verò peccatur ſolo defectu circa illā: vt cū aut nō curamus cognoſcere, aut confiteri fidem, cùm opus eſt.

Contra ſpem ſunt { Pręſumptio & Deſperatio.

Oppoſita vitia inter ſe, & vtrūque ſpei: alterum per exceſſum quodammodo, alterum per defectum.

Contra charitatē Dei ſunt duo illa { Odium Dei & Acedia.

Triſtitia videlicet de bonis illis, quæ nos circa Deum agere, poſtulat eius bonitas. Omiſsio etiam cōtra charitatem eſt, cū negligimus diuinę dilectioni vacare eo loco & tēpore, quo recta ratio ad hoc ipſum obligat.

His proxima ſunt, quæ ſunt contraria ſpecialiter religioni.

Per exceſſum quidem { Idololatria, cui coniuncta ſunt Diuinatio, & cæteræ magicę obſeruationes, in quibus eſt implicita dęmonũ inuocatio.

Poſt idololatriã omnis etiã ſuperſtitio, ſuperfluitas videlicet & exceſſus in cultu Dei, & falſus atque contrarius Deo cultus.

Reliqua ſunt ſecundũ defectũ Religioni oppoſita {
- Periurium & Sacrilegiũ: vbi omnis irreuerẽtia Dei rerûmq; diuinarum intelligitur.
- Tranſgreſſio votorum,
- Simonia,
- Tentatio Dei.

Quibus vltimò adiungenda eſt ſuperbia, quæ in Deum ſimiliter grauiſsimum peccatum eſt. Hæc quidem omnia ſunt cõmiſsionis peccata circa religionem.

Cæterùm omiſsione peccari poteſt circa illã, cũ pro loco & tem-

pore, quo neceſſarij ſunt eius actus omittuntur.

Sunt autem hi actus Religionis.
- Deuotio
- Oratio
- Adoratio
- Oblatio
- Sacrificium
- Dei laudatio.

Ad quos actus non eſt dubium teneri hominem pro loco & tempore. Et hæc ad tertium præceptum decalogi pertinent. In his vniuerſa, vel quàm plurima ſunt eorum quæ ad religionem pertinent: in quibus multa ſunt ex genere ſuo mortalia: quanquam quædã etiam aut non ſemper, aut non ita certò ſunt mortalia: vt ſuperfluus cultus Dei, & quædã quæ ad ſacrilegium pertinere poſſunt.

*Peccata contra proximum.*

Poſt hæc ſequuntur ea quæ ſunt in proximum peccata. Contra charitatem quidem quam illi debemus.

Sint hæc cõmiſsionis peccata.
- Odium.
- Inuidia,
- Diſcordia,
- Contentio,
- Sciſma,
- Rixa, Seditio,
- Bellúmque: iniuſta: &
- Scandalum.

Omiſsionis verò peccata in vniuerſum quidem, circa omnes videlicet proximos.

Omiſsio
- Miſericordiæ &
- Beneficentiæ, Quarũ actus ſunt
- Eleemoſyna &
- Correctio fraterna,

quæ omnibus proximis pro loco & tempore debentur ex charitate; & ſi quæ alia ſunt, vt verè ſunt omnia opera miſericordiæ, quibus ſubuenitur vel corporis, vel animæ defectib⁹. Refert Chriſtus Dominus in euangelio plurima horum. Eſuriui, & dediſtis
Matt. 25 mihi manducare, & c. quę, quanti ab ipſo fiant, ibi patet. De his verò

rò quæ pertinent ad ſubuenien-
dum animæ, eſt frequentior mē
tio in doctrina apoſtolica. Illa e-
nim ſunt quæ pertinent vel ad
corrigendos, vel ad ſuſtinendos
peccantes, ad inſtruendos vel cō
ſolandos infirmos, denique ad
orandum pro omnibus: de qui-
bus frequenter loquitur Paulus. Rom. 15.
Debemus (inquit) nos firmiores
imbecillitates infirmorum ſuſti-
nere. Et alibi: Corripite inquie-
tos, conſolamini puſillanimes, 1. Theſ. 5
ſuſcipite infirmos, patiētes eſto-
te ad omnes. Et alibi rurſum: Si Gala. 6.
præoccupatus fuerit homo in a-
liquo delicto, vos qui ſpirituales
eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiri
tu lenitatis. Sunt huiuſmodi
multa alia in apoſtolicis literis.
Quorum omnium frequenter e-
tiā Iob meminit, oſtēdens quàm Iob. 29.
ſibi curę fuerint: Oculus fui cęco
pes claudo, pater eram paupe-
rum, cor viduæ conſolatus ſum,
& benedictio perituri ſuper me
veniebat.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cõtra iuſtitiam verò peccatur multipliciter in proximũ: commiſsione quidem, homicidio, ſeu quacunque iniqua læſione corporis, & furto, ſiue rapina: quę prohibentur quinto & ſeptimo pręcepto. Et omnis iniquitas ac iniuſtitia cõmutationũ, quæ eſt in emptione & vẽditione, & vſura, eſt peccatũ in proximũ: ſimiliter quæ ſunt damna iniuſta in ſubſtãtia proximi.

Sunt etiam contra iuſtitiã, quę in iudicio iniuſtè fiunt: inter quæ primum eſt acceptio perſonarũ, quæ in diſtributione bonorũ cõmunium eſt. Deinde omnis iniquitas aut iudicis, aut accuſatoris, vel rei, aut teſtis, aut cuiuſcũque alterius eorum qui in iudicio cõueniunt: quæ ſimiliter conſtat in damnum proximi fieri. Sunt quoq; peccata alia extra iudiciũ.

| | |
|---|---|
| Contra honorẽ aut famã proximi. | Cõtumelia ſcilicet, detractio, ſuſurratio, deriſio, et maledictio |

Quæ omnia linguæ peccata damnum ſimiliter inferunt proximo. Et obſeruandum, hæc omnia, quæ contra iuſtitiam diximus eſſe peccata, obligare etiam ad compenſationem illati dãni, quam reſtitutionem vocant. Nec enim dubium eſt, reddendum eſſe proximo quod ab eo iniquè ablatum eſt. Vbi tamen ſunt non pauca nec minima dubia, quæ ad iudicium etiam confeſsionis pertinent, quanquam in his meritò poſsint inferiores iudices ad ſuperiorem, epiſcopum videlicet, referre quæ maioris momenti ſunt, aut ex parte aliqua dubia. Communia tamẽ profectò opus eſt cognita eſſe. Itaque & hoc inter cætera, de quibus ſeorſim in ſpecie agendũ eſt, ſeponatur.

Sunt quoque ſpeciales quædam virtutes iuſtitiæ partes: contra quas etiam omiſsione peccatur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Videlicet {
Pietas, qua parentibus obſeruantiam, & ſuperioribus omnibus debitũ reddimus.
Dulia etiam, qua honorem his quibus debetur, exhibem⁹.
Obedientia, qua paremus ſuperiorib⁹.
Gratia, qua benefactoribus repẽdimus beneficia.
}

Omiſsio igitur harũ virtutum, cùm pro loco & tẽpore earum actus exercendi erant, peccatũ eſt: mai⁹ vel min⁹ graue, vel leue iuxta materiã, & circũſtãtias alias, de quib⁹ ſigillatĩ poſtea dicendũ.

Sunt quoque virtutes quędam aliæ iuſtitiæ proximæ, cõtra quas etiam peccata committuntur.

Nempe {
Veritas, quia tales nos gerimus exterius, quales interi⁹ ſum⁹.
Amicitia, &
Liberalitas.
}

Itaq;

Itaque mendacium, ſimulatio, iactantia, & ironia (quæ genera ſunt mendaciorum) peccata ſunt veritati contraria. Quibus coniuncta eſt etiam adulatio, quę magis contra veritatē amicitiæ eſſe videtur. Auaritia etiam & prodigalitas liberalitati cōtraria ſũt. Et hæc omnia proxima peccata ſimiliter ex ſuo genere non ſunt mortalia, ſed quandoque ex materia, vel alijs circunſtantijs: vt mendacium, adulatio, prodigalitas, auaritia. Hæc igitur de peccatis in proximum.

*Peccata in noſipſos.*

Vltimò denique numerantur peccata quæ ſunt contra nos ipſos: ea videlicet, quę nec proximè in Deũ tēdunt aut contra illũ fiunt, nec alijs nocent: ſunt tamē contra ea quę decent rationalem naturam: atque ita temperantiæ & fortitudini ſunt contraria, cæteríſque virtutibus cognatis. Hęc primò quidem ſunt gula & ebrietas, deinde luxuria & eius ſpecies, atque incontinentia, quæ con

tinen-

tinētiæ, virtuti cuidā tēperantiæ cōiunctę, opponitur: & ira ac crudelitas lenitati cōtrarię. Immodeſtia ſimiliter exceſſuſq; tū appetitus ſciēdi (quæ curioſitas eſt) tum ornat⁹, inceſſus, atq; geſtuū etiā, iocorū atq; ludorū. Hęc enim omnia intēperantię quędā ſunt ſecundū exceſſum. Sunt etiā vitia his atque tēperantiæ cōtraria per defectum: vt inhumanitas, in nimio defectu ſumēdi cibū: et ita in cęteris dici poteſt. Sequūtur poſt hæc fortitudini, & virtutibus illi coniunctis contraria ſecundū vtrumque extremum. Fortitudini quidē aduerſatur timiditas ſeu timor, quē prohibet Chriſtus: Nolite timere qui occidunt corpus, &c. Intimiditas & audacia, illis contraria. Et poſt hæc, quæ magnanimitati opponūtur: pręſumptio ſcilicet, ambitio, & inanis gloria: & puſillanimitas, quæ in altero extremo illis oppoſita eſt. Deniq; quę magnificentiæ, patiētię, perſeuerātiæ opponūtur: ſcilicet

licet paruificẽtia,impatiẽtia, mol-
lities,& pertinacia, quę ſecũdum
duo poſita extrema cõſequũtur.
Et in his oĩbus,ſicut de peccatis
quę ſũt cõtra proximũ,diximus,
quędã ex genere ſuo tãtũ venia-
lia ſũt,alia mortalia:de quib⁹ etiã
in ſpecie agendũ.Hęc igitur ſunt
ferè peccata oĩa. Nã de prudentia
nõ eſt opus ſpecialiter dicere , eò
quòd illa cõiuncta ſit cęteris vir-
tutibus.Et quanquã ſint quędam
vitia illi oppoſita,facilè tamẽ poſ
ſunt inter reliqua , de quib⁹ dixi-
m⁹,cõputari:vel certè cõditiões
illorũ ſunt,vt præcipitatio, incõ
ſideratio , negligẽtia , & ſimilia.
Hęc igitur ſũt à nobis in hoc prĩ
cipio propoſita,vt nouerĩt, quos
hîc admonem⁹, hæc ſibi ſpeciali-
ter eſſe agnoſcẽda. De quibus nos
(vt diximus) putamus inter cęte
ros Caietanũ,quantũ ſatis eſt , &
qua opus eſt breuitate tradidiſſe:
nec omittẽd⁹ eſt vtilis libellus, ꝗ
methodus cõfeſsiõis dicitur: quẽ
ante paucos dies hîc tradidimus.

# DE RA= TIONE MEDENDI PEC *catis quatenus pertinet ad ſpirituales iudices.*

## Lect. Prima.

DIXIMVS in principio huius, quam nũc tractamus, partis, duo potiſſimũ eſſe neceſſaria ſpiritualibus iudicibus: cognitionem videlicet peccatorũ, & cognitionem rationis medẽdi vulneribus animarum: vt ibi ex patrum doctrina oſtendimus. De primo igitur cùm dictum ſit in genere quidem quantũ ſufficit, & in ſpecie oſtẽſum quid ſit reliquũ: de ſe



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cundo reſtat vt nunc agam?: quē
locum, quia nunc nimium vide-
mus neglectum, cupimus diligen
tius commendatum eſſe, atque
pro noſtra tenuitate conabimur
illuſtrare ac docere.

Duplex igitur medicina adhi
benda eſt animabus in ſacramē
to poenitentiæ. Prior, qua à pec-
catis commiſsis curentur. Altera
qua etiam pręſeruentur à futu-
ris. Quæ ita coniunctæ ſunt, vt re
uerà neutra ſine altera aut ſuffi-
cere poſsit, aut vix certè veraci-
ter adhiberi. Qui baptizatur à
mortuo, inquit Sapiens, & iterū
tangit mortuum, quid prodeſt la
uatio eius? Quo apertè oſtendi-
tur, fruſtrà commiſſa dimitti pec
cata, ſi iterum repetātur. Fruſtrà,
inquam, quantum attinet ad fru
ctum & ſalutem animæ: cùm, vt
dictum eſt ſuperius, periculoſius
rurſus infirmetur anima. Et in
euangelio dominus non ſolùm
recidiuum peccati peius & peri-
culoſius eſſe docet: Fiunt, inqui-
ens,

*Medicina adhibēda eſt propter præterita, & cōtra futura peccata.*

Eccl. 34.

ens,nouiſsima hominis illius pe-
iora prioribus )ſed etiã in ſpecie
tamen, & non ſecundum verita-
tem pœnitentiam frequẽter agi,
cũm futura non cauentur pec-
cata: quanuis non negandum ſit,
poſſe etiam verè & integrè fieri
ab eo qui rurſum labitur, pro-
pter humani cordis labilitatẽ,vt
ſuprà dictum eſt.Inuenit(inquit)
domum illam vacantem,quam-
uis mundatam & ornatam.Quid
eſt vacantem:niſi ocioſã,& non
verè ſuæ ſaluti intẽtam?Sed quia
de his plura diximus in tracta-
tu de ſacramento pœnitentiæ;ſa
tis ſit hæc obiter admonuiſſe,&
diſt.hanc duplicis medicinæ an-
notaſſe.Hoc tamen circa illas eſt
diligenter aduertendum,has ad-
hiberi non in ſola abſolutione &
adminiſtratione ſacramẽti,quã-
quam non ſit dubium, ipſum o-
ptimam eſſe medicinam, vbi &
paſsionis Chriſti meritum,atque
virtus applicatur animæ & in-
funditur ei diuinæ gratiæ ſanitas

*Notet ſequentia, qui audit conſeſsiões.*

ac

ac robur confertur, vt meritò ſe-
cundũ quodãmodo baptiſma di-
ci poſsit. At verò cùm ſacramen
tum hoc medicinale ſit, & ex illa
poenitentia, quam ante inſtitu-
tionem ſacramẽti, & ratio, & lex
diuina docet, confectum: ex acti-
bus videlicet poenitentis, qua-
ſi exercitio quodam, ſiue ſudore
aut vomitu infirmi, vt ſuprà di-
ximus ex b. Thoma: non rectè
adminiſtratur hoc ſacramentum
niſi cùm debitè prius pręparatur
poenitens. Quare illud in hoc prĩ
cipio ſtatuatur: ad ſpiritualem
medicum pertinere, vt agno-
ſcat hanc præparationem poeni-
tentis, &, vt eã ipſe pro parte ſua,
adhibitis ſpiritualibus medici-
nis, adiuuet: excitãs videlicet poe
nitentem ad dolorem peccati, &
reliqua neceſſaria: de quibus di-
ctum eſt ſuprà. Ne itaque tam ab-
ſurdè errent ſacerdotes, vt putẽt
ſatis eſſe, quando ſacramentum
admouent poenitenti, quaſi medi
cinam infirmo. Prius enim opus
eſt

eſt vt agnoſcant diſpoſitum eſſe
illum iuxta illa quæ ſuperius ex
Hieron.in illũ Matt. locũ: Quæ-
cunq; ſolueritis ſuper terram, &
cęt. expoſuimus: & vt etiam ad
ipſam pręparationem infirmi co
operẽtur, iuxta illa quæ ex Chry
ſoſt. libris de ſacerd. & ex Innocẽ
tio in ca. Omnis vtriuſque ſexus,
adduximus. Colligamꝰ igitur, ad
ſacerdotem in iudicio illo con-
feſsionis primò pertinere ſcien-
tiam neceſſariæ poenitentiæ &
doloris, quæ ad remiſsionẽ pec-
cati requiruntur: alioquin cæcus
cæco ducatũ pręſtabit, & marga-
ritas ante porcos ſparget, aut ſan
ctum dabit canibus. Scientiam,
dicimus, doloris & contritionis
duplicem: alteram, quaſi ſpecula
tiuam: qua primò ſciat quid ad
veritatem poenitentiæ & contri
tionis requiratur, & quibꝰ ſignis
hæc cognoſci poſſit, vt ex his,
quantum fieri poteſt, intelligat,
vera, an falſa: ſufficiens, an inper
fecta ſit poenitentia & contritio.
Al-

*Triplex ſcientia eſt neceſſaria audicti cõfeſsionẽ*

Alteram, veluti practicam: qua ſcilicet poſsit ad pœnitentiam et contritionem excitare peccatorem: Hoc enim debet ante omnia agere, cùm viderit id deeſſe pœnitenti.

Cęterũ tertia etiã peritia eſt neceſſaria: qua videlicet ſciat remedia adhibere periculo recidiui: idq́ pro qualitate peccatorũ et peccatoris. Hoc eſt enĩ quod deꝰ ſeueriſsimè exigit, & cuius defectum acerrimè exprobrat in ſcripturis. Ad quod, vt cętera omittamus, locus ille Ieremiæ notandus eſt. Cap. 8. Ita enim dominus myſticis verbis loquitur. Nunquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei? Vbi aduerte, quòd etiam ſigna & veſtigia peccatorũ medicinæ huius ſpiritualis remediis vult Deus deleri, quantum fieri poteſt. Quare (inquit) non eſt obducta cicatrix? Quamobrem eodem cap. aduerſus ſacerdotes



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& doctores clamat . Sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam eius dicẽtes,pax, pax. Vnde inquit:Quomodo dicitis,ſapientes nos ſumus , & lex domini nobiſcum eſt?Verè mẽdacium operatus eſt ſtylus men dax ſcribarum. Verbum enim do mini proiecerunt , & ſapientia nulla eſt in eis.Quę omnia apertiſsimè competunt,& magis pro priè ac verius dicũtur in noſtros ſacerdotes, qui rationem veræ pœnitentiæ ignorantes,nec ſcientes,quibus admonitionibus ad eam exhortandi ſint poenitentes denique,neque qualiter recidiuo occurrendum ſit : miniſtros ſe exhibent abſolutionis.Cõtra hos (inquam)tantò magis illa dicun tur,quàm contra illos ſacerdotes legis veteris;quantò noſtri verius quę ad ſpiritualem animarum ſalutem pertinẽt,tractant , quàm illi.Nec Iſaias hoc omiſit,ex perſona Dei inquiens . Dimittetur
Cap.27. iniquitas Iacob;& hic eſt omnis

fru-

fructus, vt auferatur peccatum eius, apertè oſtendens duo hæc inſpicienda eſſe: alterum vt remittatur peccatum pręteritum: &, vt caueantur futura. Hic eſt enim fructus quem dicit: vt auferatur peccatum, futurum proculdubiò. Nec enim aliud eſt reliquum, remiſsis præteritis.

Tria igitur hęc, quæ ad ſcientiam ſacerdotis pertinent, annotentur diligenter. Ex quibus primum, quod videlicet pertinet ad cognoſcendam veritatem, & perfectionem contritionis, explicauimus pro captu noſtro in ſacramento poenitentiæ. Reſtant igitur duo: quomodo videlicet & ad contritionem excitandi ſint poenitentes, & qualiter contra futura peccata præmuniendi ſint: quæ duo ſimul hoc loco à nobis tractanda ſunt. Et meritò quidē quandoquidem ſimul coniuncta ſunt, ita vt vix ab inuicem ſeparari poſsint, vt ſatis in ſacramēto poenitētiæ oſtendimus. Quā-

ta eſt contritio, tantũ opus eſt, vt ſit propoſitum vitandi futura: & quantum eſt hoc propoſitum, tanta eſt reuera cõtritio. Quis autem non intelligat, non eſſe verum propoſitum cauendi peccata, quod non fecit hominem ſolicitum ad quærenda oportuna remedia: maximè cùm periculũ aut agnoſcitur, aut certè facilè agnoſci poteſt? Aut quomodo verè illum peccatorum pœnitet, qui, cùm nouerit facilè ſe lapſũ, non cogitat quibus remedijs tanto periculo obuiandum ſit, deniq́ue, qui non ſuſcipit illa à ſpirituali medico ſibi impoſita? Et idem de ſacerdote ipſo meritò iudicari poteſt. Nec enim curat verè à præteritis abſoluere, qui de futuris cauendis non ſeriò admonet. Auguſtinus ſanè non propoſitum tantum cauẽdi futura peccata, ſed vitæ mutationem neceſſariam putat: quæ non eſt aliud, quàm, vt ſtatim remedia oportuna contra peccata adhibeantur.

*vera pœnitentia coniunctam habet ſolicitudinẽ de futuris peccatis vitandis.*

tur. Si itaque ex his omnibus cō-
cluſum, non eſſe veram contri-
tionem, niſi cùm neceſſaria reme
dia contra futura peccata ſuſcipi
untur. Quare illa non tantum cō
tra futura peccata ſunt, ſed etiã
vt præterita remittantur. Non
igitur verè agit ad remiſsionem
peccatorum præteritorum ſacer
dos, qui futuris remedia non ad-
hibet: nec verè ad contritionē
excitat, neq; ad remedia con
tra periculũ futurorum,
niſi ſimul etiam ad ea
ſuſcipienda pecca-
torem inducat.
Igitur de his
duobus
nunc
agen
dũ.

LECTIO

# Lect. Secunda

## DE ORIGINE ET cauſis peccatorum, & de prima earum, ignorantia ſcilicet, in ſpeciali.

Tria diligenter cognoſcēda ſūt aīæ medico.

VTquæ propoſita ſunt cõuenienter tradantur, cognoſcenda ſunt primum cauſæ & origines peccatorū, deinde progreſſus, atq; ſtat⁹ ad quē peccatū peruenit: denique quod maxima ex parte ex his pēdet, diſpoſitio & ſtatus ipſius poenitentis. Hæc enim tria, qui corporib⁹ mederi vult, diligenter attendit. Vnde fit, vt eidem paſsioni nonnunquam contraria adhibeat remedia, intelligens ex contrarijs cauſis eandem infirmitatem nonnunquam oriri.

Aliter etiam eidem morbo, & ex eadem cauſa habenti originē me-

medetur, cùm æger integris viribus, & robuſto corpore eſt: aliter cum infirmo. Ita igitur & ſpiritualis medicus cauſas & origines peccatorum opus eſt vt attẽdat, vt illis remedia adhibeat: & quantum etiam proceſſerint peccata. Nec enim, etiam eiuſdẽ ſpeciei ſemper æqualia ſunt peccata. Alia enim vſque ad cõſuetudinẽ, alia vſque ad inuerecundiam etiam & obſtinationem peruenerunt. Et iuxta hęc maiori vel minori remedio opus habent. Denique aliter infirmus, qui ferè in deſperationem ex puſillanimitate labitur: aliter proteruus & obſtinatus curand⁹ eſt. Meritò itaq; tria illa cogitanda ſunt, ſed primò de cauſis dicamus.

Cauſæ peccatorum colligendę ſunt ex his quæ ſuperius de principijs humanorum actuum diximus. Cũ enim peccatum ſit act⁹ humanus deficiens & imperfect⁹, neceſſe eſt vt ex ĩperfectione cauſarũ naſcatur. Ad ĩperfectionem



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nem enim affectus neceſſaria eſt perfectio cauſæ. Et vbi videmus imperfectum effectum, agnoſcimus imperfectionem cauſæ fuiſſe: vt in arbore cuius folia marceſcunt, aut fructus corrupti inueniuntur, agnoſcimus in radice defectum eſſe. Cùm igitur ſuperius tres cauſas actuum noſtrorũ internos nobis poſuerimus: rationem ſcilicet, voluntatẽ, & appetitum (nam reliqua omnia & organa & facultates noſtræ magis inſtrumenta ſunt, quàm cauſæ peccatorum) imperfectio trium harum potentiarum, vel alicuius earum reddit imperfectum actum noſtrum, atque ita peccatum. Malũ enim ex ſingulis defectibus fit & ſequitur, ſicut ad bonum integritas omnium cauſarum requiritur. Ratio igitur, & voluntas, ac appetitus integra eſſe debent, vt rectè operemur: ſi quid eorum deficiat, imperfectũ erit opus, atque peccatum: ſicut in omni effectu plures habente

causas, manifeſtum eſt. Vt enim recta ſit ſcriptura: & calamus, & manus, & ars neceſſaria ſunt: quicquid defecerit horum, reddet opus imperfectum. Porrò ſicut rationis perfectio eſt ſcientia & cognitio, ita defectus eius ignorantia. *Ignorantia.* Et hæc nō minima origo peccatorum eſt. Propterea (inquit Iſaias) *Cap. 5.* captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam: & multa alia, quæ in hanc ſententiam dicuntur pluribus alijs locis ſcripturæ. Perfectio verò appetitus ſenſitiui humani in ſubiectione erga rationem rectã conſtituta eſt: imperfectio igitur eius, rebellio eſt contra rationem. Hanc infirmitatē vocamus, quãdo circa bonum aliquod agendum appetitus rationi repugnat: *Infirmitas.* Concupiſcentiam verò, cùm in malum contra rationem tendit: *Cōcupiſcentia.* de qua Paulus dixit, quòd caro cōcupiſcit aduerſus ſpiritum. Voluntatis verò perfectio in illius conſiſtit in verum bonum

Malitia. propenſione. Imperfectio verò & defectus in complacentia mali: quam malitiam dicimus. Hę igitur ſunt tres primæ cauſę & origines peccatorum: ignorantia rationis, infirmitas & concupiſcentia appetitus, & malitia volũ-
1. 2. qu. 77. tatis. De quibus b. Thom. diligẽter ſcripſit, & opus eſt vt hoc loco de illis dicamus.

Obſeruandum autem ante omnia, has tres cauſas ad peccatũ ita concurrere, vt quamuis nonnunquam, imò frequenter etiam aut duæ, aut omnes ſimul cõcurrant: illa tamen cauſa peccati dicitur, quæ præcipua eſt, atque ita ſe habet, vt ſi deeſſet, non committeretur peccatum: quod apertè etiam experimur. Cùm enim quis ſic aliquid operatur, vt ſi agnoſcet peccatum eſſe, non operaretur: etiam ſi ex aliqua paſsione & affectu id operetur, ignorãtia tamen illius operationis cauſa fuit. Cùm verò ex paſsione aliqua vehementi appetitus cõſen-

tit quis in peccatum, quod non ignorat peccatum eſſe: & ſi reuerà ignorantia aliqua ſit: vt oſtendemus inferius: prima tamen cauſa paſsio illa eſt. Rurſus, qui nec ignorans, nec illectus paſsione, malum eligit: is errat quidem, ſed prima cauſa malitia eſt.

Dicendum igitur de ſingulis earum in hoc principio. De ignorantia igitur notandum, aliquam eſſe quæ per ſe ſola eſt cauſa peccati. Et hæc (vt beatus Thomas inquit) eſt, cùm omnino ignoratur peccatum eſſe quod agimus: vt cùm Iacob acceſsit ad Liam. Alia verò ignorantia coniuncta eſt omni peccato. Errant (inquit Sapiens) qui operãtur malum. Nec enim dubium eſt, vt ex ſuperioribus patet, electionem nõ eſſe peruerſam, niſi prçcedente iudicio aliquo peruerſo, atque ita errore. Non quòd putemus, vt Socrates voluit, omnem virtutem cognitionem eſſe, et ita omne vitium ignorantiam. Eſt

*De ignorantia, quatenus eſt peccati cauſa.*

*Prouerbior. 17.*

enim manifeſtum, multos contra id quod apertè ſciunt, in conſenſum trahi ex affectu aliquo. Sed non dubitamus, eum qui ſic cõſenſit, vel obliuiſci, vel minus attentè cogitare id quod vel habitu, vel in vniuerſali cognoſcit: & hæc eſt ignorantia omni peccato coniuncta. De hac ergo duplici ignorantia agendum.

Primò de vtraque, quomodo ſit cauſa humani actus, dicemus. Cùm enim defectus tantum ſit ignorantia, non eſt propriè cauſa peccati directè agendo; ſed indirectè tantum: ſicut defectus et abſentia gubernatoris eſt cauſa ſubmerſionis nauis. Cùm enim, ſi ſcientia adeſſet, prohiberet peccatum: defectus eius cauſa eſt vt committatur peccatum: ſicut ait beatus Thomas. Contingit verò hæc ignorantia dupliciter: vel ex intentione auertẽtis ſe ab inquiſitione & cognitione, vel certè à conſideratione eorum quæ ſcire & cõſiderare debet: vel præter

*1.2.q.76 art.1.*

*Duobus modis eſt quis ignorãs.*

ter intentionem, cùm quis nimiſum intentus his quæ magis placent, omittit vel ſcire, vel conſiderare quæ debet. De priori illud dictum eſt: Noluit intelligere, vt bene ageret. Et quod Iſaias contra impios ait: Qui dicũt vidẽtibus, nolite videre: & aſpiciẽtibus, nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores: ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael. De poſteriori verò illud pſalmi intelligitur. Supercecidit ignis, & nõ viderũt ſolem, & oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terrã: quãuis etiam ad priorẽ illã ignorantiam referri poſsit hoc, propter verbum, ſtatuerunt. *Eſai.30.*

De priori illa ignorantia, quæ ſola eſt cauſa peccati, quomodo ad illud ſe habeat, nunc explicandum. Hæc enim quandoque excuſat omnino à peccato: quandoque, ſi non omnino, ſaltem ex parte. Nonnunquã nihil minuit, ſed auget etiã: idque secũdũ quod

variè ſe habet ignorantia ad voluntarium. Nam cùm (vt ex ſuperioribus patet) peccatum omne voluntarium ſit: ignorãtia verò tollat voluntariũ: neceſſe eſt vt peccatum auferat. Quando verò id fiat, ita explicauit Philoſophus ipſe, & antiqui illi, Gregor. et Damaſcenus, & b. Thomas quæſt. ſupradicta.

*Qu. 76.*

*Ignorãtia volũtatẽ oĩno præcedens.*

Triplicem enim diſtinguit ignorantiam, ex ordine quẽ habet ad voluntatem. Prima eſt quam præcedentem vocant: quæ ſcilicet omnem voluntatem præceſsit: hoc eſt, quam nulla ratione volumus.

*Ignorãtia conſequens voluntatem.*

Altera verò huic oppoſita, ex qua etiã hæc agnoſci poteſt, dicitur conſequens volũtatẽ: quam volumus aliqua illarum rationum, quas proximè diximus: vt illa nimirum, de qua dictum eſt: Noluit intelligere vt bene ageret: vel altera, de qua diximus illud: Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem.

*Ignorãtia comitans voluntatẽ.*

Tertia denique, quam concomitantem dixerunt, illa eſt, quæ, etſi nõ

fit

ſit voluntate concupita, tamen etiam ſi adeſſet oppoſita ſcientia, non impediret actum: vt in illo, qui ſagittã iacit, putans ſe ferã occidere, & occidit inimicum: occiſurus proculdubiò libentius, ſi inimicum eſſe ſciuiſſet. Hæc itaq; ignorantia, teſte Philoſopho, & his quos citauimus, facit actum non eſſe voluntarium, hoc eſt, non adeſſe tunc voluntatem: nec enim velle poſſumus aliquid eo tempore, quo illud non agnoſcimus: non tamen facit inuoluntarium, hoc eſt, quod repugnat voluntario. Rurſum, quælibet harũ eſt nonnunquam iuris, nonnunquam facti. Et quæ iuris eſt, quandoque diuini ſiue naturalis, quandoque humani ſiue poſitiui. Iuris quidẽ eſt, cùm ignoratur aliquid prohibitũ eſſe: vt ſi quis putaret fornicationem non eſſe peccatũ, vel vſuram eſſe licitam: quorum vtrumq; iuris naturalis eſt. Vel, vt de poſitiuo iure dicamus, ſed diuino: ſi quis putaret con- *Ignorãtia iuris diuini vel humani.*

feſsionem peccatorum non eſſe neceſſariam, aut nunquã audiſſet prædicationem Euangelij. Iuris verò humani ignorantia eſt, ſi quis putaret non minus licere iudici ſæculari in clericũ animaduertere, quàm in laicum. Ignorãtiæ verò facti apertiſsimũ exemplũ eſt in Iacob. De omnibus igitur certum eſt, ignorantiã præcedentem, quæ inuoluntaria eſt, excuſare omnino à peccato: & illam vocant ignorantiam inuincibilem: quam ſcilicet diligentia noſtra non poſſumus vincere: diligentia inquam humana, & qua prudentes ſolent in ſimili re vti: & propterea ipſa ignorantia nullum peccatum eſt, nec vllo modo voluntate appetita. Neque nunc opus eſt quæſtionem illam anxiè tractare, an poſsit licitè ignorari lex diuina: vel, an ſine culpa ignoretur aliquando. Sunt qui putent ius diuinum nunquã ſine culpa ignorari: adeo, vt ſentiant nullum excuſari à fidei Chriſtianæ

*Ignorãtia facti.*

*Quæ ignorãtia excuſet a peccato.*

ſtianæ ſuſceptione, etiam ſi non audierit Euangelium. Sed non eſt opus anxiè hæc diſputare, melius eſt diuino iudicio hoc relinquere, de quo nihil certum nobis in ſcriptura eſt proditum. Satis eſt, ea quæ ignorantur abſque dolo & fraude, & abſque negligentia manifeſta diſcendi & ſciendi quæ neceſſaria ſunt, excuſare à peccato. Nam illud, quod apud Ezechielem dicitur de eo qui poſuit ini juitates in corde ſuo, & iuit ad interrogandum prophetam: Ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum, & decipiam prophetam illum: iuxta iniquitatem interrogantis, ſic iniquitas prophetę erit: ad fraudem, vel apertam negligentiam pertinet: cùm ſcilicet voluntariè ignorat, & quærit quod ſibi gratum, non autem quod verum eſt, dici, Nam quod quidam putarunt, vt excuſetur quis ignorantia iuris diuini, neceſſe eſſe, vt priꝰ per ve

Ezechi. 12.

ram

ram pœnitentiam in Deum conuertatur: ne videlicet propter peccata ſua permittat illum Deus decipi: durius eſt, quàm vt omnibus imponi debeat. Exhortandi quidem ad id omnes, qui de re maximi momenti dubij ſunt, & doceri cupiunt. Verùm qui bona fide de his quæ occurrunt dubiis, conſulit quos meritò iudicat ſapientes, nec aliud agit, credi poteſt ſatisfeciſſe, ita, vt ſi quid errauerit, inuincibilis reputetur ignorantia & inuoluntaria. Hæc igitur de prima ignorantia.

*Ignorantia volũtaria nõ excuſat à peccato.*

De ſecunda verò, quæ ſcilicet voluntaria eſt, eadem ratione patet quòd non excuſat à peccato: imò accuſat potius, quando ex malitia aliquis non vult ſcire quæ oportet. De qua illud Pauli: Ignorans ignorabitur. Nonnunquam verò quãdo ex negligẽtia eſt, excuſat ex parte, & leuius reddit peccatum. Vnde ipſe Paulus inquit: Fui blaſphemus & perſequutor, ſed miſericordiam conſequutus

ſequutus

ſequutus ſum, quia ignorans feci: oſtēdens videlicet ignorantiā aliquid excuſaſſe.

*Ignorantia comitans neque accuſat, neque excuſat.*

Tertia demum illa neque accuſat, neque excuſat : quia nec volūtaria eſt , nec inuoluntaria . Occiſio itaque inimici, dum putatur occidi fera , tunc non fuit peccatum: quia non voluntaria: erit tamen peccatum , cum placuerit. Hæc igitur de ignorantia qua omnino ignoratur peccatum eſſe quod agitur.

*De ignorãtia oī peccato coniuncta.*

Alia verò ignorantia , quæ in omni peccato inuenitur , quæ cæcitas mentis ſiue hebetudo ſenſus in ſcriptura & patribus vocatur , illa eſt, qua principium aliquod non cogitatur, quod rectè expēſum à peccato auerteret : vt quàm ſit ingratum Deo, quàm nobis noxiū peccatū, quanta pœna dignū: & ſimilia. Iſta nō eſt dubiū vel non cogitari à peccante, quod cæcitatem dicere poſſumus : vel ſi cogitantur, nō ſatis, ex hebetudine quadā & craſsitie, penetrantur & expenduntur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

2.2.q.16 duntur. Hæc enim cæcitas & hebetudo (vt docet b. Thom.) contrariantur dono illi ſpiritus ſancti, quod intellectus dicitur: nec dubium eſt eas peccatorum eſſe cauſas, & augeri peccatis ipſis. Quò enim magis peccatur, hoc magis obtenebratur animus, & ineptior fit ad ſpiritualia ac diuina capienda; contra quod promittitur per Iſaiam prophetam: Erunt omnes docibiles Dei, ſiue θεοδίδακτοι. Eſt enim propriũ gratiæ nouæ legis, efficere hominem facilem ad capiẽda & penetranda diuina. Nos (inquit Pau-
2.Cor.3. lus) omnes reuelata facie gloriã Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur: cùm eodem loco de Iudęis dicat, quòd obtuſi ſunt ſenſus eorum. Vnde meritò inter cauſas peccati maximas hæc ignorantia numeranda eſt. Et agnoſcendum, quàm longè ſint à gratiæ Chriſti ſtatu, qui ad fidei myſteria cogitanda & intelligenda tam craſſi

&

& ſomnolenti ac tardi ſunt, vt illa magis quaſi figmenta quędam & ſomnia, aut reuerà quaſi non intelligibilia conſiderent. Quod malum non tam naturali defectui ingenij, quàm illorum culpæ certè tribuendum eſt: cui diligenter remedia adhibere debet ſpiritualis medicus: de quibus poſtea. Hæc verò dicta ſunt, vt etiam quid de peccato ignorãtię in arcano illo confeſsionis iudicio cenſendum ſit, ſciant quos hic inſtruimus.

# Lect. Tertia

## DE INFIRMITATE.

SEcunda, quæ ponitur cauſa peccati, infirmitas eſt: paſsio ſcilicet aliqua appetitus ſenſitiui: quam meritò infirmitatẽ vocamus, vt inquit b. Thom. quoniam eſt inordinatio quædam par-

*Explicatur animæ infirmita* *qu. 77. art. 3.*

partium hominis,qua impeditur in operationibus rationis : ſicut infirmitas corporis dicitur , cùm ex membrorum aut humorum inordinatione ac diſproportiõe impeditur corpus in ſuis operationibus: ne ſcilicet rectè ambulare,aut digerere, aut huiuſmodi aliquid facere poſsit. Ita ira tanquam febris quædam eſt & ſanguinis accenſio,qua turbatur rõnis iudicium. Turbatus eſt( inquit Dauid)à furore oculus meus.Ita cõcupiſcentia carnis,& quicquid aliud eſt . Quomodo verò paſsio ſit principium humani actus , & qualiter ipſam rationem mouere , ac ita voluntatem trahere in conſenſum poſsit , ſatis ſuperius explicatum eſt,iuxta ea quæ beatus Thomas duobus primis articulis illius quæſtiõis docet . Paſſio enim ſiue affectio cauſa eſt peccati,quando immutando corpus vehementer diſtrahit à rationis conſideratione, vel certè facit delectabile & bonum appa-

rere,quod illi affectui conforme eſt. Hinc fit, vt ventre pleno, videatur facile ieiunium: at verò exhauſto,aliter. De quo eſt illud Philoſophi: Qualis vnuſquiſque eſt talis finis videtur ei: talia ſcilicet iudicat ſibi expedire. Nihil ergo hîc aliud dicendũ eſt: quàm vt notetur, paſsionem hanc & infirmitatem frequenter excuſare & minuere peccatũ: non vt auferat ſui generis malitiam (nam fornicatio & adulterium ex graui paſsione, mortalia etiam ſunt: ſicut & homicidium) ſed excuſare dicitur quod leuius faciat, & magis dignum miſericordia. Vnde etiam legimus frequenter in Pſalmis, ad miſericordiam implorandam allegari infirmitatem. Miſereri mei Domine, quoniã infirmus ſum: & ſimilia. Quod ideo fit, quia infirmitas hęc minuit volũtariũ, ſicut & ratiõis cõſideratione͂. Quo enim maior eſt paſsio, eo minus cogitatur peccatum, & voluntas

*Quõ infirmitas partim excuſet peccata.*

ma-

*Quæ paſsio minuat, & quæ augeat voluntariũ.*

magis trahitur. Quare meritò b. Thom.ſupradicto loco,hoc dixit verum eſſe de paſsione pręcedente deliberationem: hãc enim manifeſtum eſt impedire ipſam rationem deliberantem. Quæ verò ſequitur deliberationem, non impedit iudiciũ rationis,nec voluntatem: ſed potiùs ſequitur illam, & auget etiam. Quò enim magis ĩ actu aliquo delectamur, quò plures & fortiores paſsiões voluntati coniunguntur, eò magis illam tenent, & grauiùs peccatur:quod & in bono, & in malo certũ eſt. Paſsio enim ſequẽs in actu virtutis deliberationem, auget etiam eam virtutẽ;ſed quę pręuenit, minuit.

Iuxta cauſam hanc,infirmitatem ſcilicet, notandæ ſunt multæ aliæ cauſæ peccatorum, quas ſcriptura nominat: quæ omnes ex paſsionib⁹ iſtis appetitus ſunt.

*Lib.14. de ciuitate dei.*

Conſtituit igitur beatus Auguſtinus amorem ſui inordinatum primam cauſam peccati: q( vt in-

quit

quit ille)cũm vſque ad contem-
ptum Dei pertingit,ædificat Ba-
bylonis ciuitatẽ: quod B.Tho- *De amo-*
mas explicans eadem quæſtione *re ſui,*
docet omnem paſsionem appe- *qui etiã*
titus noſtri non eſſe aliud,quàm *infirmi-*
quod bonum aliquod ſenſibile a- *tas ani-*
mamus nobis. Omnia namque *mi eſt et*
quæ affectu noſtro corporeo & *prima*
nondum ſanato per gratiam vo- *cauſa*
lumus,propter nos volumus. Si *peccati.*
itaque nos non amaremus inor- 77.*a*.4.
dinatè,nihil aliud inordinatè cu- 2.Tim.3.
peremus;quod ſatis d. Paulus in-
dicat,cùm priuſquam diceret de
multis nouiſsimorum temporũ
peccatis præmiſit: Erunt hões
ſeipſos amantes, &c. Amor verò
hic ſui propriè intelligitur inor-
dinatus ille affectus,quo nos iu-
xta corpus tantumconſiderantes
amamus corpori bona,omiſſa et
neglecta aĩa.Iſte eſt enim amor
ille de quo in Euangelio dicitur:
Qui amat animam ſuam, &c. Ibi
namque anima pro vita anima- *Ioan.* 12
li accipitur, non pro rationali
par-

parte, qua iumentis præſtamus: Qui ſic ſe amat, odit: ſicut iuxta literam quam nos habem⁹, intelligitur illud. Qui diligit iniquitatẽ, odit animã ſuã. Nec tamẽ ſol⁹ hic amor corporalis appellandus eſt amor ſui. Eſt enim infirmitas hæc & ſui amor latior: & in Philoſophis illis, qui nouerant corpus & corporea omnia contemnere: atque in ſpiritualibus viris, qui in ſcientia ſcripturæ & rerũ diuinarum intelligentia ſibijpſis placent, & quæ ſua ſunt quærunt, locum habet. Itaque amor ſui eſt omnis complacentia in nobis, aliena à verò & Chriſtiano affectu, quo ſoli DEO eius videlicet gloriæ, atque proximorum vtilitati cupimus viuere. Et meritò dicimus hunc amorem ſui primam eſſe febrim naturæ humanę, quæ ex Adã ægro, naſcitur, & à qua vix ex toto liberamur. Cui Auguſt. oppoſuit ſupradicto li. amorem Dei vſque ad contemptum noſtri. Hic igitur

*De concupiſcẽtia carnis ac oculorũ, et ſuperbia vitæ 1. Ioh. 2.*

tur

tur primus morbus eſt cauſa pec
cati appetitus.

Hunc ſequūtur tria alia, quæ
ſcriptura notat vt omnium pec
catorum cauſas, dicente Iohāne:
Omne quod eſt in mundo, aut
eſt concupiſcentia carnis, aut cō
cupiſcentia oculorum, aut ſuper-
bia vitæ. Quæ (vt beat. Thomas
explicat) continent bona omnia
appetitus ſenſitiui. Delectatiões
corporeas in concupiſcentia car-
nis intelligimus: diuitiarum ve
rò & habendi appetitum, in con
cupiſcentia oculorum: vel vni-
uerſalius, vt diuus Auguſtin⁹ ſu
mit, curioſitatem omnē, & quic-
quid ad ſatiandum appetitum
cognoſcendi pertinet: in ſuper-
bia vitæ, excellētiæ & boni ardui
appetitū intelligimus. Quæ tria,
ſi bene penſentur, proximè ex
præcedenti morbo oriuntur, &
ſunt magis ſpeciales morbi, etiā
cùm nondum illis cōſenſim⁹, aut
non plenè. Etſi itaque vnus vno,
alius alio iſtorum morborum

mas-

gis laboret:nõ eſt tamẽ qui non agnoſcat ſe infirmum: imò vix eſt, qui non tangatur omnibus. Sed conandum eſt, vt quiſque noſcat quo grauius laboret. De quibus b. Auguſtinus diligentius, ex ſcriptura ſacra colligens eorum pericula, & ipſorum remedia, & quantam habeant ad exhortandos nos ad Deum efficaciam: ſcripſit in lib. de vera religione.

*Peccata ipſa ſunt morbi et aliorum peccatorũ cauſæ.*

Hos morbos ſequuntur alij maiores morbi: peccata ſcilicet ipſa, quæ cauſæ ſunt aliorum peccatorum. Cauſæ, inquam, vt beatus Thom. explicat; non ſolùm, quia amiſſa gratia per vnum peccatum, in alia neceſſe eſt incidere: ſed etiam, quia nonnunquam amiſſa aut verecundia, aut timore, facilius in alia peccata incidunt, qui ſemel peccauerunt. Sed & hoc habẽt grauiora quædã peccata, vt nõnunquam fines ſint aliorum peccatorũ: & propter illa conſummata vel conſũ

man

manda, multa alia peccata committuntur. Inter hęc verò peccata, quæ etiam aliorum ſunt cauſæ, numeratur primò ſuperbia, quam ſcriptura dicit initium eſſe omnis peccati. Quod iuxta Aug. quidē libro de natura & gratia, de ſuperbia propriè dicta intelligi debet, propter primum peccatum angeli, & hominis etiã, quæ fuerunt initia omnium peccatorum. Addit etiam b. Thom. in omni peccato eſſe quãdã volũtatē non ſubijciendi ſe, aut non parēdi legi, quæ ſuperbia quædam eſt: cùm tamen b. Auguſ. ſupradicto loco, cum infirmitate vel ignorãtia peccatur, nullo modo putet ſuperbiam eſſe. Computatur etiã inter hæc auaritia, quam Paulus ipſe radicem omnium malorum vocat. Quod de auaritia proprij nominis (vt b. Thom. illa q. exponit) eſt intelligēdũ: quia materiã præbet multis peccatis. Diuitiæ enim ſunt velut fomētum peccatorum omnium. Deniq; ad iſtã

*Eccleſ. 10.c.29. ſuperbia initium omnis peccati.*

*1.Tim.6 Auaritia omnium malorũ radix.*

etiam

etiam pertinent ſeptem illa capi-pitalia vitia,quæ à d.Gregorio & Caſsiano(quamuis ille octo nu-meret)explicantur. Dicuntur e-nim capitalia,quòd quaſi duces ſint,vnde multa alia oriuntur:id quod d.Gregorius 30. lib mora-lium,ex diligenti conſideratione & experientia affectuum huma-norum docet:quæ ſcilicet vitia ex quolibet eorum conſequan-tur ſecundum communem expe-rientiam,quæ ratione etiam non caret.De quibus quidem diligen-ter ſigillatim b.Thom. Et perti-net certè ad hanc materiam mo-ralem & cognitionem peccato-rum,hęc cognoſcere:quæ nos ſu-perius inter genera peccatorum numerauimus.Nunc ſatis ſit a-gnouiſſe,quòd ſeptem illa pecca-ta tendunt in ea,quæ maximam habent vim & efficaciam mouē-di affectus humanos.Habent enī non minimam rationem beati-tudinis,quæ ratio eſt appetendi omnia quæ appetimus. Atque
ideo

ideo,cũ tam efficacia ſint,ad multa etiã alia peccata mouent. Inanis gloria & auaritia tendunt in hæc duo,gloriã ſcilicet &ſufficientiã:quæ maximè in beatitudine iuueniũtur.Gula & luxuria in delectationẽ:quæ maxima eſt etiã beatitudinis pars. Et quidem ideo hæc peccata ſunt,quia in eis non quæritur vera gloria,aut ſufficientia,aut delectatio:ſed ſolùm apparentia eorũ. Reliqua verò tria capitalia peccata fugiũt mala his contraria:ira videlicet, inuidia,& acedia:atq; ideo etiã efficaciſsimè mouent: ſed quæ ex eis oriãtur peccata, oſtẽdit (vt diximus) Gregorius. Satis ſit hoc loco admonuiſſe,quòd ad ſpiritualẽ iudicẽ,& eũ qui cupit animarũ mederi vulnerib. nõ ſolùm pertineat, noſſe peccata ſingula, ſed etiã radices et cauſas,ex quib⁹ oriuntur: vt videlicet dignè mederi poſsit peccatorũ vulnerib⁹. Hæc itaq; ſufficiant de ſecunda peccatorum cauſa.

*Septem capitalia peccata.*

LECTIO

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Lect. Quarta.

## DE VLTIMA PECCATOrum origine, *Malitia ſcilicet.*

VLtima tandem peccatorum cauſa, & quidem cæ-
q.78. teris grauior meritò ponitur malitia: quæ (vt b. Thom. ait) defectus quidam eſt voluntatis, quæ (vt ſuperius oſtēſum eſt) præcipua cauſa eſt omnium humanorum actuum. Sicut igitur deficiente à ſuo ordine ratione fit ignorantia, ex qua committuntur peccata; & deficiente à perfecta ſubiectione, & obedientia erga rationem appetitu noſtro naſcitur infirmitas, ex qua (vt declaratum eſt) non pauca peccata prouenniunt: ita voluntatem contingit à ſuo proprio ordine, quē habet ad bonum rationi conſentaneum, deficere: non quòd malum ſub propria ratione mali eligat; ſed quia, dum nimium pec-

cato alicui inhæret, conuertitur quodammodo illi in naturã: quo fit, vt non ex ignorantia, non ex vehementi aliqua paſsione mali alicuius: ſed affectu ipſius peccati quo ducitur, prçueniat omnẽ paſſionem, & ipſum peccatũ appetat ac velit: & hoc dicimus ex certa malitia peccare. Quod non poteſt melius cognoſci, quàm ex duobus aliis mẽbris. Cùm enim nec ob ignorãtiã, nec ob paſsionem, ſed integra ratione & ſana eligit ipſum peccatũ committere: ex certa malitia peccat, ſiue ex electione. Eſt quidẽ in omni peccato, maximè mortali, electio & malitia: ſed hæ in alijs præueniuntur à paſsione vel ignorantia. Quando verò nihil eorum, ſed ipſa peccati malitia delectat, ex ea peccatur, & ipſa eſt origo peccati: tunc ex electione peccari dicimus. Et hic eſt proculdubio magnus gradus & profectus, vel potius defect⁹ peccati, cũ ad peccandũ excerta malitia peruenitur. Et

*Quid ex malitia peccare*

quanquam hoc non mutet ſpeciem peccati, eſt tamen conditio non parum aggrauans ipſum peccatum: quam ſanè meritò inquirere debet ſpiritualis iudex, quia longè alia & efficacior medicina his peccatis eſt neceſſaria.

*Duobꝰ modis peccatur ex malitia, videlicet, ex conſuetudine, & prauitate naturæ.*

Dupliciter verò cõtingit ex certa malitia peccare. Primò (quod apertum eſt & cõmuniꝰ) cũ ex conſuetudine generatus fuerit habitus peccati. Fit enim peccatum per conſuetudinẽ & habitũ connaturale, ita vt ipſum ſolũ per ſe delectet: atque tunc multũ detractũ eſt integritati mentis humanæ. Nam primò incipit homo, ſuperatꝰ aliquo affectu, inuitꝰ quodammodo trahi ad conſenſum peccati: quare etiã diſplicet, nec ſine triſtitia & anxietate aut cõmittit, aut prius cõmiſſum relinquit peccantem. Poſtea verò paulatim ipſa frequentatione fit, vt incipiat minꝰ diſplicere, minꝰ ſentiri: et tãdẽ cõuerſũ in naturã, per ſeipſũ delectat. Itaqꝫ ſic peccantes

ſimi

ſimiles ſunt his , qui captiuitatẽ
ipſam, aut infirmitatem, quaſi na
turale bonum coeperunt amare.
Peccatur etiam ex certa malitia,
præter cõſuetudinẽ & habitũ (vt
b. Thom. præd. q. ait) ex vehemẽ
ti aliqua tentatione, aut certè (vt
ille inquit) ex nimia corruptione
& procliui in vitiũ aliquod, natu
ra. Nec enim dubiũ eſt, ex liberta
te voluntatis in malũ, fieri poſſe,
vt ipſũ à principio eligatur; quã-
quã hoc rarius. Eſt enim natura-
le homini, paulatim & per incre-
mẽta quędã tẽdere in malum vel
in bonũ. Cũ igitur audierit ſacer-
dos conſuetudinẽ peccandi, opus
eſt vt de certa malitia aduertat
diligenter: aut etiã vbi percepe
rit vehemẽtem aliquam inclina-
tionem in peccatum.

Ex his etiam intelligi poteſt, *Incremẽ*
quod attinet ad præſentẽ locum: *ta pecca*
quale ſit augmentũ: & quibꝰ gra *ti.*
dib. creſcat affectꝰ mali in nobis.
Ex priori enĩ peccato ſequitur ſe
cundũ: atq; ita ex plurib. cõſuetu-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

do & habitus : & hinc certa ma-
litia. In qua ſunt etiã gradus, quos
*tres gradus malitiæ.* poſſumus nunc tres numerare.
Primus, de quo iã loquuti ſumus,
cũ ex inclinatione quadã & con-
naturalitate peccatur. Secũd⁹, hoc
altior cũ ad hoc peruenitur vt cõ-
temnatur lex ipſa, & ex contẽptu
eius peccetur: nõ ex alia videlicet
*Prouer. 18.* paſsione aut affectu, quàm vt le-
gi nõ ſit ſubditus. Huc enim per-
tinet quod ſcriptũ eſt: Impius, cũ
venerit in profundũ malorũ, cõ-
temnit : & hoc exponit b. Tho.
eſſe peccare ex contemptu: quod
non eſt dubiũ eſſe ex certa mali-
tia, & inſigni quidẽ. Tertius ve-
rò, ſupra hunc etiã, gradus eſt, cũ
iam cõtradicitur ipſi ſpiritui ſan-
cto, & reijciuntur ac contemnũ-
tur ea per quæ retrahitur animus
à peccato. Hoc enim ſpeciali ra-
*1.2.q.86 art.9.* tione docet beatus Thomas me-
ritò dici peccatum in ſpiritũ ſan-
ctum : quod certè ſummum eſt,
& iuſtè irremiſsibile dicitur. Cõ-
ſiſtit enim in contemptu eorum

per quæ fit remiſsio . Itaque ſi
quis nolit audire ſacras conciões,
aut legere ſacram ſcripturam, ne
ita à peccato retrahatur : non eſt
dubium quin ex ſumma malitia
peccet , & in ſpiritum ſanctum.
Nec deſunt huius exempla in ſcri
ptura. Iob inquit de his qui dixe
runt Deo: Recede à nobis, ſcien-
tiam viarum tuarum nolumus.
Et Iſaias de eiſdem dicit: Filij no
lentes audire legem , qui dicunt
videntibus, nolite videre , nolite
nobis loqui quæ recta ſunt : lo-
quimini nobis placentia , ceſſet
ſanctus Iſrael à facie noſtra. Hu-
ius quidem peccati colligit Bea- 1. 2. q. 14.
tus Tho. ſex ſpecies : quæ omnes
in eo conſtitutæ ſunt, vt ex intẽ-
tiõe abijciatur id, per quod à pec
cato reuocamur . Hæc itaque eſt
omnium maxima malitia . Sunt
quoque alia peccati augmenta.
Nonnunquã enim ex affectu pec
cati fit , vt incipiat diſplicere lex
ipſa Dei , & fides : ita vt cupere-
mus eam non eſſe. His certè pro-

xima eſt ipſa infidelitas: & ideo nõ minoris ſunt periculi, nec minus fugienda, quàm quę iam diximus: in quæ nonnunquam ex illis labimur: ex conſuetudine videlicet peccandi, & cõtemptu in infidelitatem. Satis ſit de his nũc monuiſſe ſacerdotes, vt nõ negligenter hoc aduertant, ſed conſiderent quàm altas radices peccatũ egerit in corde, & quos protulerit fructus, vt inde intelligant, qualia ſint adhibenda remedia.

*Peccatũ ex malitia eſt cæteris grauius.* 1.2.

Non eſt etiam circa peccatum ex malitia omittendum, quare hic modus peccandi grauior ſit duobus prioribus. Quod beatus Thomas quæſtione illa ſeptuageſima octaua articulo vltimo diligenter explicat. Habet enim hoc peccatum maiorem ratiõem voluntarij: cùm nihil ſit rationem ipſam impediens, atque ita nec voluntatem à ſequenda recta ratione retrahens. Deinde, quòd diuturnior ſit hic affectus, & diutius adhæreat voluntati. Neque

enim

enim habet, per quod ab illo retrahatur. Paſsiones & affectus appetitus ſenſitiui citò tranſeũt: & cùm tranſierint, incipit diſplicere peccatum: vt homicidium cõmiſſum ex ira, & ſimilia. Malitia verò illa voluntatis, maximè quæ ex habitu eſt, magis hęret. Denique, cùm in peccato ex certa malitia inordinatio ſit tota in rationali appetitu: peſsimè ille diſpoſitus eſt ad finem: minus verò malè in peccatis ex paſſione, vel ignorantia. Certum igitur eſt, hoc eſſe multò grauius, & ideo maioribus egere remedijs.

Hæc itaque ſint dicta de tribus his radicibus præcipuis, & cauſis peccatorum: quas noſſe, & circa quodque peccatum aduertiſſe, valde conducit. Non eſt tamen omittendum, quin de earum ad inuicem comparatione aliquid dicamus: vt inde melius, quomodo peccatis medendum ſit, cognoſcatur. Diuus Aug. quidẽ (vt

*2. lib. de pec. mer. et remiſſione capit. 17.*

hoc prius dicamus) quãquã obiter, & abſq; diligentioris inquiſitionis præiudicio, has tres cauſas ad duas reduxit: Peccatur (inquiens) & Dei mandatum præteritur vel quia bonum latet & nõ cognoſcitur, vel quia non delectat. Itaque cùm ſint duæ præcipuæ cauſæ actuum noſtrorum, ratio & voluntas: defectus earũ Aug. conſideraſſe videtur: cùm tribuit rationi quidem ignorãtiam, voluntati delectationem vel defectum eius: quia (inquit) non delectat: vel certè coniungit appetitum voluntati: ad vtrumque enim pertinet delectatio: ita vt meritò poſsimus dicere peccatũ omne vel à cognitione deficiente aut errante, vel à delectatione aliqua ortum habere. Imò reuera vtrumque eſſe in peccato, meritò dicendum eſt. Meritò igitur, qui conſulere vult animabus, cõſiderabit, vbi prius incipiat defectus et peccatũ: an in ratione minus cogitante, an in affectu vel

voluntate minus ſequente rationem. De hoc igitur breuiter ſequentia putamus annotāda eſſe. Primum hoc ſit: Ordine generationis & temporis, principiū peccatorum omnium in hominibus cōmuniter, & ſecundum ea, quæ frequenter contingunt, eſt ex appetitus ſenſitiui inordinatione: quāquam fieri poſsit, vt aliter eueniat: ſed hoc eſt rarum, & ideo ab arte alienum. Iſtud ſatis oſtendit experientia & ratio, quę ab illa ſumitur. Viuimus enim omnes prius animali vita ſine vllo rationis vſu (de quo illud: Viuebā aliquando ſine lege: Augu. intelligit) & eo tempore, vt Paulus ipſe inquit, peccatum in nobis mortuum eſt (quia videlicet non agnoſcimus ipſum) & tamē ſunt in nobis paſsiones illæ & affectus delectationum, & aliarum rerū ex natura ipſa ſenſibili, quales videmus in alijs animalibus: noadum tamē tam validi & fortes, propter virium & ætatis de-

*Vnde principium peccati ī nobis communiter*

*Rom .7.*

bilitatem: accedit tamen ex cor-
ruptione ipſa, quæ in nobis ma-
ior eſt, amplior etiã inordinatio
in his motibus: vnde fit, vt verũ
ſit illud: Senſus & cogitatio ho-
minis prona ſunt in malum ab
adoleſcentia ſua. Cùm itaque af-
fect⁹ iſti nobis ſemper noti ſint,
ac congeniti ſemper nobiſcũ ado
leuerint, & ratio longo poſt tem
pore (ſeptimo videlicet, vt Ariſ.
putauit, anno: & reuerà aliquan
do tardius, atque rarò certè antè)
incipiat paulatim & valde debi-
liter ac imperfectè ad conſidera-
tionem honeſti aperire oculos:
fit, vt inter ipſa ſua initia oppri-
matur, & à fortiori cõſuetudine
corporalium affectuum trahatur
in conſenſum, & obſcuretur ni-
mium: maximè ſi his accedat pra
ua conſuetudo eorum inter quos
viuitur, ſi accedãt inhoneſta ver
ba & exempla: ex quibus fit, vt
Geneſ. 8. meritò ſcriptum ſit illud: Omnis
caro corruperat viã ſuam: quod
vtinam ipſa experientia non do-
ceat

ceat nos. Ex his enim factum eſt, vt quanquam in cæteris omnib⁹ rebus, etiam animalibus, malum, & quod contra naturam cuiuſq; eſt, rarius inueniatur; in noſtra tamen natura malum ſit in pluribus, & plures contra naturam vitã inſtituant, quàm ſecundum illam: nimirum paucis tranſeuntibus à corporalibus delectationibus & bonis, inter quæ ab infantia nutriti ſunt, ad guſtum ſpiritualium delectationũ, & ſenſum huiuſmodi bonorũ. Itaque, quod apertè intuemur, viuitur ab hominib⁹ integræ rationis, quaſi in infantia quadã & pueritia à qua nos deterret Apoſtolus dicens: Nolite pueri eſſe ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. Contrà videmus paruulos ætate & ſenſibus, ſed malitia non paruulos: idque propter tantam corruptionẽ naturæ & conſuetudinis humanæ. Inter quæ etiam, quod ſpiritualibus iudicibus valdè conſiderandũ eſt, frequẽter fit, vt quãquã ratio,

1. Corin. 14.

tio,& naturale illud lumen diuini vultus, quod ſignatum eſt ſuper nos,ſatis indicent in primordijs illis rationis, mala,& ab eis deterreant:tamen praua conſuetudine & propria, & eorum inter quos viuitur,fit,vt multa nec reputentur quidē peccata,vel certè cũ timore aliquo & cõſcientiæ dubio taceantur in ſalubri illo cõfeſsionis iudicio: maximè in inhoneſtatis peccatis, & prima illa verecunda ætate.Quare, in his opus eſt prudentiſsima attentione,ne aut indicentur pueris, quæ non norunt,mala:aut certè relinquatur illis virus aliquod abſconditũ in viſcerum receſsibus. Scripſit quædam ad hoc pertinentia Gerſon in tract. de arte audiendi confeſsiones, & in alijs locis de puerorum diſciplina. Itaq; ſufficiat hæc annotaſſe,in quibus exordia rationis noſtræ,& peccatorũ ſatis oſtenduntur.

*Apparet initium boni & mali magis a voluntate quam ratione eſſe.*

Secundum hîc annotandum, eſt iſtud.Poſt hos affectus & paſ-

ſiones-

ſiones, quid prius corrumpatur, ratio ipſa & cognitio, an voluntas; non ſatis notum eſt: & fieri poteſt, vt quandoque vnum, quandoque alterum prius corrumpatur: magis tamen probabile credimus, potius ex voluntatis corruptione & defectu prius peccata eſſe, quàm ex rationis corruptione: quod nouiſſe, etiam cõducet ad adhibenda remedia. Vt enim ex ſuperioribus patet, etſi neceſſe ſit cognitionem præcedere, vt ſequatur affectus: tamen nulla cognitio ſatis efficax eſt ad mouendum, nulla diu occupat animum, niſi adſit efficacia voluntatis. Putamus itaq; iudicij illius peruerſi, quod in ratioe eſt cùm peccatur, radicem eſſe ex voluntatis defectu: quia illa aut iam cœpit ſibi placere in malis, aut certè erga bona cœpit tepidior eſſe. Quare primũ omnium fontem malorum & bonorum putamus eſſe voluntatem, quæ in ſcriptura ſacra meritò cor dicitur

ex quo manat motus & influxus vitæ in membra: ſic à voluntate; de qua verbum illud meritò in=
Prou.4. telligimus: Omni cuſtodia ſer= ua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit. Si voluntati bene fuerit conſultum, ſi illa ſit ſana: nulla cogitatio aut rationis defe= ctus nocere poterit: quanquam reuerà hæc duo coniunctiſsima ſint. Quod cùm multis ſcripturæ authoritatibus doceri poſsit, non tamen opus eſt pluribus hoc age= re: ſatis ſit iſtud breuiter admonu iſſe hoc loco. De cauſis igitur pec catorum interioribus hæc dixiſ= ſe ſufficiat.

Tribuuntur etiam exteriores cauſæ peccato: de quibus ſuperi= us nonnihil diximus inter cauſas humanorum actuum. Sunt autē hæ cauſæ, homo & angelus ma= lus: qui non aliter ſunt cauſę, quā ſuggerēdo & proponendo bonū aliquod, quod ratio ſequatur: vel ad illud perſequendum per= ſuadendo: quæ omnia exteriora

ſunt

ſunt:quanquam(vt patet)etiam hæc moueant corpus ipſum,& alterent: ſicut in ira vel timore contingit. Vbi etiam diabolũ poſſe nonnihil amplius,conſtat. Poteſt enim corpus ipſũ alterare,& maiores accendere paſsiones: voluntatem verò ne attingere quidem poteſt.

*De excæcatione, & obduratione.*

Inter has cauſas externas peccati ponitur excæcatio & obduratio: quæ duo ſcriptura Deo tribuit. Ego indurabo cor Pharaonis & excæcabo cor populi huius,& aures eius aggrauabo. Non quòd Deus ſit cauſa peccati(absit hoc)à quo nihil inordinatum: non quòd Deus aliquando moueat,multò minus cogat ad conſenſum peccati: vt hæretici ſtultiſsimè dicunt. Sed(vt b. Thom. proprio loco explicat)quandoq; non dat homini gratiam, qua ratio illuminetur ad non conſentiendum peccato, & emolliatur voluntas vel ad amandũ bonũ, vel ad odiendum peccatum.

*Exo. 7. & 9.* *Eſaiæ 6.* 1.2.

Hęc

Hæc enim duo, rationis lumen,
& voluntatis ſuauitas ac compla
centia in bono, diuinæ gratiæ
ſunt opera: & quibus dantur,gra
tis ac miſericorditer dantur:qua-
re nulli debentur:quibus ſubtra-
huntur,iuſtè ſubtrahuntur:vt ve
rum ſit illud: Cuius vult,miſere-
tur:& quem vult indurat.Et rur
*Ro.9.et* ſum:Miſerebor,cui miſertus fue-
*Exo.33.* ro: & miſericordiam præſtabo,
*Ibidem.* cui voluero, aut in quem mihi
placuerit. Et illud etiam: O ho-
mo,tu quis es,qui reſpõdeas deo?
Quæ ideo hic notanda ſunt,vt a-
gnoſcamus cæcitatis & malitiæ
noſtræ cauſas in nobis eſſe;ſed re
media & medicinas ex gratia à
Deo:atque ideo ab illo primo eſ
ſe requirẽda à quo opus eſt
vt incipiat ſanitas omnis
& medela: de qua le
ctione proxi
ma dice
mus.

LECTIO

# Lect. Quinta.

## DE REMEDIIS, ET RAtione medendi animarum vulneribus in ſpeciali.

DE cauſis itaque & origine peccatorum dictum eſt: iam de curatione dicendum. Circa quam iuxta ea quæ ſuperius, cùm de ſatisfactione & poenitentia ageremus, dicta ſunt, aduertendum eſt, quòd eccleſiæ antiquæ conſuetudo fuit, vt cuilibet lęthali peccato, certa deſtinarentur tempora poenitentię, ante quam peractã, nõ concedebatur communio vel ſacrificij, vel ſumptiõis euchariſtiæ, ei qui id genus peccati commiſiſſet. Tempora verò hæc ſtatuebantur ex epiſcoporum iudicio & arbitrio. Et frequẽter quidẽ in concilijs, aut vniuerſalibus, aut prouincialibus, communi omni-

*De canonib⁹ pœnitentialibus & publica pœnitentia.*

mniũ iudicio hæc tempora præfiniebantur. Vnde orti ſunt canones poenitentiales in diuerſis cõcilijs editi: quorũ plurimos colligit Rabanus in li. quẽ vocat poenitentiarum. Sunt etiã antiquorũ de his nõnulli tractatus, Greg. Neocæſarienſis & Petr⁹ Alexandrinus epiſcopi ſcripſerũt canones, circa eos potiſsimũ, qui fidẽ negarunt. Scribit etiã de his Nicephorus in fragmento quodam de facultate ligandi atque ſoluendi: vbi dicit, nulla ratiõe ſacerdotẽ aliquẽ hac poteſtate bene fungi poſſe, qui vigorẽ canonum, & ſuam cuiq; peccato mulctam imponẽdam ignorauerit: particeps enim fiet peccati, quòd ſine illa cenſura canonica remiſerit. Huius verò conſuetudinis, & canonum poenitentialium Augu. in Ench. c. 65. hanc reddit cauſam, vt eccleſiæ, quæ interiorem & veram cordis poenitentiã nõ poteſt videre: illo teſtimonio perſeuerãtiæ in poenitentia (inquit

quit ille)ſatisfieret:apud quã(Eccleſiam ſcilicet )eſt poteſtas ligandi atque ſoluendi. Vbi aduertendum eſt, quòd, quanquam tempora illa poenitentiæ, multi putent ad peccata publica, quæ ſcandalo fuiſſent Eccleſiæ, referenda:pro illis enim(vt ſuperius diximus)ſolennes illæ poenitentiæ indicebantur ab epiſcopis ſub iudicio totius Eccleſiæ:et certum eſt in illis ſeruata eſſe tẽpora illa:ſi tñ rigor ille & ſeueritas antiquæ eccleſiæ conſideretur, videbimus etiam ob occulta nonnunquam peccata, quæ videlicet ad ſecretum iudicium ſacerdotum referebantur, iniuncta fuiſſe tempora illa poenitentiæ. Nam (vt ſuperius ex Origene oſtendimus, & nonnullis alijs antiquitatis teſtimonijs) quandoq; occulta ipſa ad iudicium publicũ eccleſiæ deferebantur ex concilio ſpiritualis Iudici. Sic enim parati erant, qui veram poenitentiam agebant, nihil recuſare:tan

ta etiam erat antiquæ illius eccleſię innocentia & charitas, vt vno pœnitente aut paucis, omnes cōpaterētur & cōdolerent: quare non recuſabant publicè ſe oſtendere peccatores, etiam illi, quorum peccata non fuerunt maniſeſta. Itaque illud certiſsimum eſt, tempora illa pœnitentiæ ſeruari non potuiſſe, niſi manifeſtum id eſſet cæteris. Nec enim participabant (vt diximus) Sacramentis intra illa tempota. Vnde certum etiā eſt non ſemper pro peccatis, præcipuè occultis, impoſita eſſe tanta pœnitentiæ tempora: ſed in occultis hoc fiebat non ſine multo conſilio, iuxta qualitatem perſonarum: vt videlicet quod prodeſſe poterat ſaluti animæ pœnitentis, & aliorum ædificationi, fieret: nō verò illa rōe ipſi, vel alijs fieret īfamia, aut vituperiū, aut ſcandalum. Hinc factum eſt, vt poſterioribus tēporibus tant⁹ ille rigor remiſſus fuerit: & nō dubitamus hoc magna

ex

ex parte factum eſſe iuſtis & neceſſarijs de cauſis. Tunc enim, cũ iter ĩfideles eccleſia agebat, pręcipuè curabatur, ne vita fidelium ſcandalo eſſet infidelibus. Quare oportuit ſeueriſsimè puniri peccata, maximè quia tunc Eccleſia habebat diſciplinam ſuam ſeparatam omnino à ſæcularium legũ & iudicum punitione. Nunc verò, quando etiam ipſæ leges & principes ad Eccleſiam pertinẽt, quanquam ſint alia iudicia, ſatis tamen putandum eſt, ſi in ſæcularibus iudicijs crimina puniantur (crimina inquam, ſubditorũ) authoritate & ſeueritate illarum legum. Hinc putamus factum eſſe (vt ſuperius diximus) quòd ſolennes illæ pœnitentiæ ceſſauerint, & tandem omnes canones pœnitẽtiales commiſsi ſint arbitrio ſacerdotum: in grauioribus quidem epiſcoporum, in alijs etiam inferiorum ſacerdotum.

Sed in hoc negotio debet cuilibet epiſcopus conſtituere, quæ

oportuna ſaluti animarũ: quod fieri ſolet in ſynodalibus conſtitutionibus: quas proculdubiò oportet eſſe cognitas omnibus inferioribus ſacerdotibus. Canones verò illos poenitentiales antiquos non ita omnes tenẽtur ſcire: cùm iam illa tempora poenitentiæ ſint arbitraria: quanquã profureit nõ parũ illa ſaltẽ vidiſſe: vt antiqua illa eccleſiæ ſeueritas ſi nõ oĩo ſeruari, ſaltẽ cogitari poſsit, & ſecũdũ aliquã proportionem obſeruari. Neque enim in illis tẽporibus poenitentiæ cogitandum eſt, ſolùm curatũ fuiſſe vt perſeuerantia illa eſſet teſtimonium veræ poenitentiæ coram eccleſia: quod quidẽ verum eſt, vt Auguſtinus dicit, verum etiã vt illis longioribus tẽporibus mala conſuetudo peccandi, ſi introducta eſſet, vt pronitas ad ſimilia peccata, aut facilitas peccãdi, & ſimilia, quæ ex peccato relinquũtur curarẽtur. Nec illi⁹ ſolũ, cui ſatisfactiones i-

ponebātur, bono & ſaluti: ſed totius etiā populi ædificationi voluit eccleſia cōſulere: vt hoc exē plo viderent omnes, quanti peccata fiant in eccleſia, & quā dura ſit pro illis ſuſcipienda poenitentia: atque ita ab eis deterreretur populus, & ad Dei timorem excitaretur. Apertè enim videmus, quantū horū obliteratio in Eccleſia detraxit dignæ æſtimationi peccatorū, & timori Dei: quapropter cuperēt multi illa poenitētię publicæ tēpora reſtitui. Verùm plena illa ab omni conſuetudine & reliquijs peccatorum liberatio poenitentis præcipuè quærenda eſt: & ideo illi hoc eſt, eius viribus & captui commenſuranda ſunt omnia. Quare quod attinet ad reſtituendos canones illos poenitentiales, non putamus facile eſſe definiendum. In peccatis ſanè publicis videretur conducibile fore eccleſiæ, ſi ſeruarētur: ſed quādo illa in exteriori iudicio, vel ſæculari vel eccleſia-

ſtico,

ſtico, aliter puniuntur: videbitur nõ admodũ neceſſarium: interim tamen non dubitamus populum magis ædificari ſatisfactionibus, quæ voluntariè ſuſcipiuntur: ædificari (inquam) ad timorem dei & pœnitentiam: quam deterrentur à peccatis, pœnis quę infligũtur in iudicijs. Quare in Concilio grauiſsimo epiſcoporum, & doctorum virorum atque timentium Deum, eſſet hoc maturius cõſultandum. Nunc ſufficere debet admonuiſſe de neceſsitate huius ſequeſtrationis pœnitentium à Sacramentorum participatione, modò ſatisfactionibus cõdignis interim præparentur: hæ enim ſunt fructus digni pœnitentiæ, quos petit Dominus. Teſtantur etiam hoc ipſum verba canonũ, in quibus frequenter dicitur, tempora illa ſuſcipiẽda eſſe, vt ſic poſtea purificatus à peccatis anim⁹, dignè poſsit ad Sacramenta accedere. In qua ratione, multa certè ſunt comprehenſa nobis imitanda,

da, & huic, de quo nunc agimus, propoſito cõuenientia: de quib⁹ mox plura: interim de temporibus pœnitentiæ, & canonibus pœnitentialibus ſufficiat hęc annotaſſe.

*De trib⁹ operibus ſatisfactorijs.*

Nunc quod genus remediorũ & medicinarum eſſe debeat, aut quibus potiſsimum exercitijs vacarint, qui tempora illa pœnitentiæ ſuſcipiebant: eſt breuiter quoque ex ſuperioribus indicandũ. Collegerunt etiam poſteriores, vt de ſatisfactione diximus, tria ſatisfactoria opera: ieiunium videlicet, orationem, & eleemoſynam: in quibus meritò omnia cõprehenduntur, quæ pertinent ad medelam animarum. In ieiunio enim, quicquid ad caſtigationem corpoream, & afflictionem carnis pertinet, intelligimus: vigilias ſcilicet, veſtitus & dormitiõis auſteritatem ac duritiem, & quicquid ad hoc pertinet. In eleemoſynis autem, opera pietatis in proximũ ſiue ſpiritualia ſiue cor

poralia ſint, intelliguntur: miniſtrare infirmis, laborare in exhortandis peccatoribus ad poenitentiam, & in docēdis ijs quę neceſſaria ſunt ad ſalutem, & huiuſmodi alia plurima. Denique in orationibus omnia ſpiritualia exercitia, meditationum, lectionum, & quicquid pertinet ad animum in Deum eleuādum, includimus. Itaque ſatis patet, nullum eſſe reliquum genus medicinæ ſpiritualis, quòd in his non ſit comprehenſum. Et conſtat in antiqua eccleſia ſic poenitentibus iniunctos eſſe ſingulis hebdomadibus dies aliquot ieiunij, &(vt Tertullianus inquit in libro de poenitentia) etiam de qualitate cibi & ſomni, de cilitio & cinere, gemitibus & deiectione vultus, præcipiebat diſciplina illa poenitentiæ. Hæc itaque propoſita ſint de antiqua illa ratione & cura, quæ in Eccleſia adhibebatur vulneribus animarū ſanandis.

Ex his igitur colligamus pri-
mùm duo,non tã aſſerentes quic
quam , quàm proponentes quod
ſalubrius & conſultius videtur.
Primum: Antiquæ illi conſuetu-
dini eccleſiæ valde eſſe cõforme,
& certè ſaluti animarum non pa
rum conferre,vt nullus poſt pec
catum mortale ad participationẽ
Sacramenti altaris admittatur,ni
ſi poſt aliquot dies poenitentiæ
& ſatisfactionis . Conſtat enim
in antiqua eccleſia impoſitũ eſſe
tempus illud, ob vnum tantùm
peccatum mortale: & illo tempo
re non ſolùm à communione ſe-
queſtratos fuiſſe poenitentes, ſed
etiam ab oblatione & cõmuni-
bus orationibus , ferè ſicut nunc
ſunt excommunicati , pręterquã
quòd ad doctrinam audiendam
admittebantur . Videtur etiam
abſolutio ipſa eis negata. Non e-
nim imponebantur eis manus
ante completum tempus poeni-
tentiæ : cùm ſcilicet admittendi
erant ad communionem: quam-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uis fortè impoſitio illa manuum magis ad externam abſolutionẽ coram eccleſia, quaſi ab excommunicatione, referri poſsit, quàm ad abſolutionem à peccatis corã Deo. Deinde, quàm eſt conſentaneum rationi, vt, qui diuinam prouocauit iram, & peccando Dei contempſit gratiam, nõ ſtatim ſe ingerat, ſed in timore & verecũdia expectet, & magis deſiderio Chriſtum ſumat? Et quantam gratiam diuinam humilitas hæc cõferet animæ? Et quàm hoc ad timenda & cauenda peccata oportunum? Quod itaque vtile hoc ſit, & plurimùm ad Deum placandum conducat: non poteſt in dubium verti: & etiam quòd cõforme ſit ſenſui antiquæ Eccleſiæ. Id tantùm in dubium verti poteſt: An præſentium tẽporum moribus ita conueniat. Vbi primò fatemur, quòd pro peccato mortali ſolius fortè cogitationis aut voluntatis, maximè in his qui vitam in Dei timo

re ducunt, non ſemper neceſſariò hoc obſeruare expedit, maximè vbi loci, temporis, & perſonæ circunſtantiæ aliud poſcunt: vt ſi pius ſacerdos aut laicus, inſtante tempore quo ſimiles conſueuerunt aut celebrare, aut participes fieri altaris, occurrat aliquod peccatum: imò etiam ſi eſſet peccatum completi operis præter ſcãdalum aut certam malitiam: talẽ, qui alioqui vitam agit abſq; grauioribus peccatis, non putamus neceſſariò diutius arcendum eſſe à communione, aut differendam illi abſolutionem, cùm verę pœnitentiæ oſtendit ſigna: tamẽ etiam his eſſe omnino hoc conſulendum, vt vel ante ſacram communionem, vel ſi circunſtantiæ aliud exigãt, poſt illã dies aliquot deflendo lapſui mortali, & agendæ pœnitentiæ pro illo, deputẽt, loco annorum quos Eccleſia antiqua taxabat. Nec dubitamus cũ quem deſcripſimus, libenter hoc acceptaturum; omnẽ ſcilicet qui

in Dei timore & obedientia mãdatorum eius abſque frequentibus lethalibus culpis vitam agit. Alioqui, qui hoc aut nõ ſuſcipit, aut graue putat, eo ipſo oſtendit quàm longè abſit à vero timore Dei. Non eſt opus multis exemplis ſcripturæ hoc confirmare. Certè Dauid pro vno peccato, Lauabo (ait) per ſingulas noctes lectum meum &cæt. & peccatum meum coram me eſt ſemper. Itẽ, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: & ſimilia multa dicit, etiam poſtquam audierat remiſſum eſſe ſibi peccatum. Maria ſoror Moyſi pro murmure in fratrem, etiam à lepra curata, ſeptẽ
Nu. 12 diebus manere iubetur extra caſtra, remiſſa iã culpa. Si pater eius (inquit ſcriptura) ſpuiſſet in faciẽ eius, nonne debuiſſet ſeptem dierũ rubore perfundi? Quibus verbis quid aliud indicatur, quã nõ facilè, nec ſtatim poſt peccatũ ad participationem ſacramẽti altaris accurrendũ eſſe? Et hæc quidem

dem diximus de vno duntaxat aut altero peccato mortali.

Alterum verò, de his qui multis peccatis & frequentibus tranſgreſsionibus aſſueuerunt, vitam ſine Dei timore in licentioſa libertate agentes, eſt diligẽtius annotandum. De his enim dicimus, multò eſſe certius, nulla ratione eos admittendos eſſe ad cõmuniõnem, niſi tranſactis non paucis diebus pœnitentiæ. Vbi fatemur non paruam eſſe difficultatem, non propter rationem aliquam, ſed propter conſuetudinem, & ſummam certè incuriam curandi animarum ſalutem; qua factum eſt, vt vix ſit inter ſacercotes, qui de hoc cogitet: & rarior inter pœnitentes, qui ſibi patiatur hoc imponi. Videtur itaque aut deſperandum eſſe de plurimis pœnitentium, aut condeſcendendũ huic cõſuetudini. Vbi non poſſumus aliud reſpondere, quàm in hac tãti momenti re ad antiquã eccleſiam nobis eſſe cõfu-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

giẽdum, & illius authoritate reſiſtendum facilitati horum temporum. Itaq; hominem poſt integrum annum, ne dicam poſt multos etiam exactos in peccandi cõſuetudine, in obliuione mãdatorũ Dei, et ſine aliquo eius timore: aut certè in quo, etſi Dei timor et cura ſeruandi diuina mãdata fuerit ex parte: præualuit tamen frequentia peccandi & conſuetudo: mox poſt vix enarrata peccata, & leui ſuſcepta ſatisfactione, ad altare permittere, non videmus qua ratione fieri poſsit: niſi fortè vera oſtenderetur poenitentia, et omitti non poſſet: & tunc, quod prius fieri non potuit, poſt communionem impleretur: ita videlicet vt poſt frequentia peccata nullus ſine condigno poenitẽtiæ tempore facilè dimittatur. Primùm conſtat Eccleſiã, totã quadrageſimam cum magna auſteritate ieiuniorũ, orationũ, & piorum operum frequentia olim ſeruaſſe, vt ita accederent præparati

ad myſteria redemptiõis noſtræ & ad communionem Sacramẽti in Paſchate, etiã illi, qui in Eccleſia ſine grauioribus peccatis vixerant. Quàm ergo alienum eſt ab hac diſciplina, omnibus his omiſsis, heri in peccatis, & hodie in altari eſſe? Ratio etiã ipſa, quare nõ immeritò Eccleſia hoc agebat, manifeſta eſt, & ex ſuperioribus in hac materia ſatis patet. Quomodo enim verum propoſitum cauendi peccata illum habere credendum eſt, qui conſueuit facilè labi, tamen neque cogitat, neque oblata ſuſcipit opportuna remedia? Hæc itaque de illo maximè vera ſunt, qui multorũ temporũ experientia didicit, facilè ſe relapſum in peccata. Et quidem multis horum differre etiam ipſam abſolutionẽ oportet. De quib⁹ proxima lectione plura.

# Lect. Sexta

## DE EADEM RE.

*Confeſſa ri⁹ exploret cōſtē tis dolorem.*

QVIA diximus obſeruāda eſſe tempora poenitentię, iam quid in illis imponēdum ſit poenitentibus, quid cum eis agendum, eſt diligentius conſiderandum. Idque iuxta illa quæ dicta ſunt de peccatorum cauſis & origine.

Igitur primò omnium ſacerdotis eſt, conſiderare poenitudinem & dolorem confitentis, quantus & quàm verus ſit. Et cùm apertè (quantum conſtare poteſt) viderit defectum, min⁹ erit illi negotij. Quando autem aduertit nō veram poenitentiā, nec ſenſum peccati in confitente, omnibus modis laborare debet ad exhortandum ipſum ad veram poenitentiam: nec alia ratione poteſt

ſine

ſine graui peccato abſoluere. Ad hoc igitur agendum, is qui audiẽdis confeſsionibus vacat (maximè rudium) debet paratos habere ſacræ ſcripturæ locos, quibus efficaciter ad verum Dei timorẽ & compunctionem peccatorum mouere poſsit peccatorem, iuxta captum illius. Et debet profectò ſpiritualis animarum medicus, ex lectione ſcripturæ & patrum habere non pauca recõdita in memoria, & piè meditata, quibus primò ſeipſum, deinde alios ad veram compunctionem & deteſtatiõem peccati moueat. Habet Chriſoſtomus non paucas homilias de pœnitẽtia, ex quibus multa in hũc vſum ſumi poſsit. Methodus etiam confeſsionis, quam nos ante paucos menſes curauimus imprimi, habet multas obſeruatione certè dignas conſiderationes. Primò, cùm methodũ tradit deteſtãdi omne peccatum in generali, & deinde ſingula in ſpeciali: in quo argumento pu-

tamus non minima commendatione dignum eſſe librum illum. Diximus etiam nos nonnulla ſuperius, cùm circa ſacramentum poenitentiæ de veritate & perfectione contritionis ageremus. Satis itaque ſit, vt ſciat ſpiritualis quilibet medicus hanc artem ſibi & cognitam eſſe debere, & ante omnia ad manum eſſe habendã. Sed his proximum eſt, vt ſatis agnoſcenti animæ ſuæ infirmitatem, medicinæ adhibeantur contra recidiuum: idque ſecundum qualitatem poenitentis, & pericula occurrentia.

*de remedijs adhibẽdis cõtra peccata futura.*

Primò certum eſt, relinquendum eſſe ſtatũ peccati, & perſonam omnem cuius commercium ſine peccato, vel ſcandalo, aut animæ periculo nõ eſt. Deinde ſocietatem ipſam & amicitiam, ſiue aliorum conſuetudinem, qua conſtat experientia ad peccandum induci hominem. Denique occaſiones, colloquia, congreſſus, & reliqua oĩa, quæ meritò is qui ſalutis ſuæ

cu-

curam gerit, timere poteſt & debet: quæ omnia reuerà pertinent ad declinandum à malo. At verò ne ſcopis tantum mundata & ornata ſit conſcientia, ſed vacãs: & ne ſolùm declinetur à malo, verùm fiat etiam bonum: addenda ſunt pia & Chriſtiana ſtudia ac exercitia, quibus animus verè ad pietatem excitetur, & proficiat atq; cõfirmetur in ea. Habet etiam prædicta methodus & vniuerſorum peccatorum in genere, & ſingulorum in ſpecie non pauca, nec leui conſideratione digna remedia, quę etiam cupimꝰ perſpecta eſſe ſpiritualibus medicis, ſicut etiã antiquiores illi, Caſſianus in collatione de octo capitalibus vitijs & remedijs eorum & Grego. in omnibus ſuis moralibus, multa de his docent: ſumma quoque illa virtutũ & vitiorum ad hanc rem non eſt parum vtilis, his præcipuè, qui res potius quàm verba, & timorem Dei quàm eloquentiam quærunt.

Sed

Sed quibus aut Gregor. aut Caſſianus, aut alij maiores libri non ſunt ad manum, aut non ſunt ad captum illorum ſcripti, cupimus librum illum commendatum eſſe. Sed iam circa hæc duo compũctionem videlicet excitandam, et adhibenda remedia, in ſpeciali pauca tradamus.

*Ignorã- tes iſtru ẽdi ſunt a peccatis.*

Primò igitur illud eſt apertius, & reuerà minus operoſum, vt cùm ex plena ignorantia, iuris ſcilicet humani vel diuini (eorũ, inquam, quæ concernũt ſalutem animæ, & ſtatum cuiuſq́;) peccatum eſt: adhibeatur vera doctrina: ita vt omiſſa anxia inquiſitione, an excuſauerit illa ignorantia, an non (raro enim in his excuſat) imò cùm nonnulla etiam excuſatio locum habere videtur, ſatius eſt ſe coram Deo agnoſcere reum ignorantiæ, eorum quę ad ſe pertinebant: omiſſo inquam hoc, doceatur peccator à ſpirituali iudice, quid circa ſtatum ſuum, artem, aut conditionem, aut ingeni

genium, aut denique opera quibus occupatur, ſit legi Dei contrariũ, & quid licitum: ita vt certa, certò noſcat, & dubia etiam vt dubia ſaltem, & minus tuta agnoſcat & vitet: nonnunquam etiam ad doctiores remitti poteſt pœnitẽs, aut cum eius conſenſu, quando opus eſt, ad illos recurrat ſpiritualis iudex. Quare duo ſunt ex vtriuſque parte cauenda, nimium indigna hoc iudicio.
Primum, ne confeſſarius nimium ſuo ſenſui ac iudicio innitatur & inhæreat, & ne ſenſus eius à communi ſit alienus: pœnitenti verò vitãda eſt importuna illa inquiſitio & curioſitas, qua quidã nunquam ſibi ſatisfieri ſinũt in vnam aut in alteram partẽ. Omnia itaq; hoc loco cum Dei timore agenda ſunt: nec tam argutijs & nouis adinuẽtionibus, quã planæ graui, atq; certæ doctrinæ inhærendum. Reuerà nimis moleſtum eſt, cùm tuta & certa pœnitẽtes ſequi recuſant, cùm ad do

ctiores appellant, maximè vbi agitur de iactura tantum rei temporalis, vel voluntatis & deſiderij proprij, aut certè quæruntur difficultates & pericula, & timēt vbi non eſt timendum. De quibus quanquam ſint diuerſæ doctorum ſententiæ, ad quid teneatur proprius parochus, vel is qui non eſt proprius paſtor, ante vel poſt audita peccata cùm pœnitens alterius & non confeſſoris ſententiam ſequi vult, quid etiam in diuerſitate opinionum fieri debeat: nos tamen putamus pœnitentem hæc nimium curantem, minus curare ſalutem ſuam, & minus de ea ſolicitū eſſe: atq; ideo meritò ſpiritualis iudex hūc admonitum, poteſt tanquam minus diſpoſitum dimittere, iuxta illud: Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam. Et ipſe meritò timere debet illud quod ſupra diximus: In iniquitate interrogantis erit iniquitas reſpondentis, & cæt. Hæc

itaq; de perfecta & plena illa ignorantia.

Eſt porrò altera quam in omni peccato eſſe diximus, quæ potius inconſideratio & inaduertentia eſt, aut minor attenſio ſpiritualium rerum. Hanc efficiunt nonnunquam paſsiones, cum vī rationis hebetant ac turbant: & peccata conſummata eam augēt. Hanc putamus valde attendendā eſſe ſpirituali medico & ei curandæ eſſe adhibenda remedia. Eſt hæc ferè in omnibus maxima omnium peccatorum cauſa, hebetudo ſcilicet ſenſus, æternarum rerum obliuio, qua fit, vt aut non conſiderentur, aut tam parum attentè, & tam inefficaciter ac negligenter, vt quaſi ſomniare dicas hominem: atq; hinc eſt, vt non moueant animum, neq; excitent aut deſiderium, aut timorem: ideóq;, etiam ſi proponantur à confeſſore, non excitāt compunctionē. Huiuſmodi hominum ſunt multi gradus. Alij

*De curāda rerū ſpiritualiū obliuione et incogitātia.*

enim

enim omnino ita ſtupidi ſunt &
inepti, vt nec ſentiãt. Nec deſunt
qui putent multos excuſari ob na
turalẽ ruditatem intellectus, aut
defectũ exercitij: vt rudes illi et
agreſtes homines inter beſtias vi
Iſai.54. tã agentes, qui nec legere, nec co
gitare quicquam nouerunt, plus
1.Ioã.2. quàm iumenta ipſa: quod ſanè in
baptizatis, & ſpiritus ſancti do
nis illuſtratis, nequaquã putamus
ſine graui eorum culpa, & immũ
ditia animæ inueniri poſſe. Po
nã (inquit Iſaias) vniuerſos filios
tuos doctos à Deo: de Chriſtianis
omnib. loquens. Et Iohãnes: Vn
ctio eius docet vos de omnibus.
Vnde, iuxta ſcripturam, b. Thom.
optimè colligit, iuſtos omnes &
dono intellectus illuſtrari quò pe
netrare poſsint diuina, & ſcien
tia, ſapientiæ atq; conſilij, quibus
inſtinctu quodam ſpiritusſancti,
& quaſi propenſione quadam na
turali, & ſimilitudine atq; con
iunctione animæ cum ſpirituali
bus, rectè de his ſentire & iudicare
poſ

poſsint. Propterea putamus ab huius morbi curatione, ſpiritualē medicum oportere incipere. Curatio verò eius cōſiſtit in lectione, in auditu myſteriorum fidei, in attenta eorum cogitatione, in humili ad Deum oratione, pro illuminatione cordis. De his igitur non pauca præſcribenda ſunt his qui ſpiritualiter ſanari cupiunt: & eò magis, quò minus reperti fuerint rerum fidei ignari.

*De curãdis affectibus.*

Quãdo etiã ex infirmitate vel malitia peccatum eſt, conſiderandum quanta ſit hæc ignorantia, & illi primò omnium medendum: quanquam habeant hæ peculiares ſuas medicinas. Paſsiones enim & delectationes carnis curantur afflictionibus contrarijs: Caſtigo corpus meum, ait Paulus. Aliarum rerum affectus habent alia remedia: de quibus in methodo, & ſumma vitiorum ac virtutum: ſed certè aut potiſsima, aut prima remedia ſumuntur ex conſideratione rationis circa

*de curanda malitia volũtatis.*

ca ſpiritualia, præcipuè æterna bona aut mala. Ita enim docuimus paſsiones mitigari ratione, quod eſt, conſideratione attẽta. Malitia autem illa voluntatis vel parua vel magna qua peccata placẽt nonnũquã propter ſe, cùm non aliud ſit quàm interioris guſtus corruptio, propriè curatur cõtrarijs: & quibus, niſi conſiderationibus? Guſtate & videte quoniã ſuauis eſt dominus. Ergo amaris conſiderationibus, timoris ſcilicet, humor ille quo peccata ſapiunt, purgabitur: dulcioribus verò reficietur animus. Itaque ſi bene conſideremus, plurima remedia poſita ſunt in conſideratione & attentione animi circa diuina: & certè ſine illa, pauca putamus inueniri poſſe efficacia. Videant itaq; ſpirituales medici quid agãt cùm externa quædã & quaſi corporalia exercitia tantum iniungunt, etiam ſi præcipiant orationes vocales: & nihil de interna conſideratione, vbi vera pietas

eſt,

eſt aut docent,aut admonent,aut imponunt infirmis.De his enim meritò illud Pauli intelligitur. Exerce teipſum ad pietatem, nã corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt.pietas autem ad omnia.Ex his igitur omnibus colligentes,ſic putam⁹ ſpirituali medico agendum eſſe,ſiue vt ad veram poenitentiam hortetur,ſiue contra futura peccata adhibeat remedia.Primo exhortabitur ad timorẽ Dei,adhibitis conſiderationibus diuinæ iuſtitiæ & ſeueritatis contra peccata in angelis, primis parẽtibus,in diluuio & ciuitatum immũdarum ſubuerſione,in tanta ſtrage filiorum Iſrael propter peccata,in deſerto:et maximè ex conſideratione diuini iudicij & damnationis æternæ, & multitudine pereuntium, cui⁹ ſunt tot teſtimonia ſcripturæ: & denique(quod ſupremum omnium eſt)ex ipſa proprij filij paſſione & morte, in quibus propter ſcelus populi ſui percuſsit

*Inſtructi eorum qui cõfeſsiones audiunt.*

eum;

eum vbi ſimul eſt & ſummæ iu- ſtitię, & ſummę miſericordię ex- emplum, quo & excitatur timor, & temperatur. Secundò, quoniã opus eſt vt timor iſte altas radi- ces agat in corde, & totum poſ- ſideat hominem: præſcribet con- feſſor vacationem quandam, & ceſſationem ab his quæ animum auertunt: ſtatuet dies aliquot heb domadæ, & loca ad quæ confugi- at, & quibus ſolitarius ſedeat, ab omni tumultu ſemotus corpo- re & animo: tunc ſuppeditabit cõ ſiderationes, quibus exerceatur his diebus: aut minus exercitatis oſtendet quod legant, aut quod audiant, et ad quorũ colloquia ac collationes accedant: ita denique vt cuique præcipiat id genus con ſiderationis & eum modum, quo putabit eum ædificandum, & fru ctum conſecuturum: cætera quo- que exercitia magis excitent ad hæc, quàm abſtrahant. Vt ſi iu- beat conciones audire, aut alia di uina officia, vt in eis quietius co- gi

gitentur diuina, Denique ipſa ie-
iunia & miſericordiæ opera, ad
hoc ipſum ordinentur, vt mens
facilius & capiat & cogitet diui-
na, ad quod excitetur per illa. Et
quanquã debeat etiam de his prę
ſcribere, quantum ad ſubijciendã
ſpiritui, & domandam carnem, ac
comprimẽdas eius nimias vires,
viderit eſſe neceſſariũ pro qualita
te perſonæ, & peccatorum, in quę
agnoſcit eum eſſe lapſum: & ad-
hibere etiam contra hæc, quæ
ad ocium fugiendum pertinent:
putamus tamen in his obſeruan-
dũ, ne quędam arida & ſine deuo
tione mentiſq; exercitijs ieiunia
imponantur. Hic cogitandum
illud Pauli: corporalis exercitatio
ad modicum vtilis eſt, pietas ad
omnia. Tertiò denique, non po-
ſtremo loco, ſed in pricipio horũ
omnium, & inter ipſa ac in me-
dio eſt pœnitenti ſedulò orandũ
pro illuminatione mentis, pro
vera pœnitentia & conuerſione:
vt docuimꝰ in tractatu de pœnit.

Nam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nam hæc omnia ad orationem
pertinent: vacatio ſcilicet à tem-
poralibus & curis atq; negocijs
ſæculi, conſideratio ſpiritualium
rerum atque myſteriorum fidei,
& ſupplex petitio pro conſequē
da Dei gratia: in quibus coaptan
dis & moderandis captui pœni-
tentium, magna eſt conſtituta
pars huius ſpiritualis artis me-
dendi animabus.

Hæc itaq; rudibus & minus
exercitatis, rudius quidem & pau
latim perſuadenda & explicanda
ſunt: ad quod maximè, quod in
lege veteri ſcriptum eſt, condu-
cet. Nam ſi tēporalia illa benefi
cia & pręcepta adeo cogitare pr̨
cipiebantur & mę moria tenere,
vt ſcriptum ſit: Meditaberis ſe-
dens in domo tua, ambulans in
itinere, dormiens & cōſurgēs; &
multa in hanc ſententiam: quāto
magis fidei chriſtianæ myſteria,
Deut. 6. nulla ratione ſunt obliuioni tra-
denda? Nam horum obliuio om-
nia ſecum adfert mala & incom-

mo

moda, facitque ex Chriſtiano carnalem hominem & amicum huius mundi, ac omnino à ſpiritualibus alienum, & (quod omnium peſsimum eſt) inter hæc mala ſecurum, & nihili facientẽ quę ad ſalutem animæ pertinẽt, quo ſtatu nihil periculoſius cogitari poteſt.

Ita igitur hæc agenda ſunt, vt his qui aſſueti ſunt peccatis, & ab his alieni, priuſquam abſoluantur, maximè cùm non ſatis diſpoſiti apparent, imponantur paulatim, ita vt non per vnam tantum, ſed plures etiã hebdomadas his teneantur exercitijs. His verò qui omnino ab his alieni ſunt, vel minus aſſueti peccatis, minora atq; breuiora: ita demũ, vt & iſti, & illi, & deniq; omnes ex hac ſpiritualis medicinæ officina habeãt, vnde quotidie proficiant, & cautiores magiſque armati cõtra peccata recedãt: quod ſpiritualis etiam medicus aſsidua oratione, & in ſe & in alijs co-

nabitur efficere, vt dignè fungi poſsit ſuo officio. Det Chriſtus Dominus omnibus ſpiritum ſuum, quo hæc omnia facillima efficiuntur, & ſine quo difficillima ac impoſsibilia ſunt. De quibus non ſine timore hæc tam pauca diximus, cùm in vtramque partem videamus illa imperfecta eſſe. Nam ſpiritualibus & feruentibus non ſufficient: tepidis verò nimia videbuntur. Sed nobis ſatis eſt vtcunque hæc ſubindicaſſe, magiſterio ſpiritusſancti cætera relinquimus.

# DE VITA SACERDOTVM.

## Lect. Prima

VLTIMO iã dicendum eſt, iuxta ea quæ in principio huius tractatꝰ præmiſimus, de vita ſacerdotali:idque iuxta ea que illo loco diſtinximus. Duo itaque in ſacerdotibus conſiderantur. Primò ordo ipſe, propter quem non eſt dubiũ ipſos ad non pauca obligari:deinde cura animarũ, quæ non ſemper ordini cõiuncta eſt: propter quam etiam conſtat ad quędam eos aſtringi, qui illam ſuſcipiunt. Iuxta hæc igitur primò dicen-

*Capita eorũ quæ deiceps explicãda ſunt.*

dicendũ, ad quid ex ordine ſacerdotij, vel quocunque alio ſacro teneãtur, qui illum ſuſceperunt: primò ex iure ipſo diuino, deinde ex ſpeciali voto, vel eccleſiæ ordinatione atque humano iure: demũ & circa curã animarũ eadẽ ſũt dicẽda: ad quid videlicet propter illã aſtringantur diuino vel humano iure.

Dicturi igitur de ſanctitate, ad quam ſacri ordines omnes quidem, ſed maximè ſacerdotalis, aſtringunt: illud primò omnium præmittendum eſt: quòd, ſicut ſacerdotes ſub epiſcopis eſſe diximus, & ſub illis Diaconos: ita omnes hos miniſtros eccleſiæ ſupra cæteros omnes gradus: non tantũ videlicet populũ ipſũ, ſed etiam monachos, cõſtitutos eſſe: ideóque ad maiorẽ ſanctitatem, quàm cęteros omnes aſtrictos eſſe, certò tenẽdum eſt: idque quaſi fundamentum collocandum in hac doctrina, & certè in cordibus eorũ quos inſtituimus. Primò

enim omniũ ( vt ſuprà diximus) agnoſcẽdus eſt proprius locus & gradus, vt deinde ſeruari poſsit & cuſtodiri. Quòd igitur ſacri omnes ordines in altiori conſtituant loco, atque ita ad maiorẽ obligent ſanctitatẽ, quàm ipſa etiam profeſsio monaſtica excepto ordine, oſtẽdit primò Dionyſi⁹ 6. ca eccleſi. hierarch. ibi enim, ſicut tres act⁹ hierarchicos, hoc eſt, ſacrę & eccleſiaſticę poteſtatis, purgare ſcilicet, illuminare: & perficere, obſeruat: ita illos trib⁹ diſtribuit ordinib. Primum miniſtris, ſecundũ ſacerdotibus, tertium epiſcopis. Sub quib⁹ rurſus tres etiã ordines ponit quaſi ſuſceptiuos illarũ operationum: purgandorũ ſcilicet infideliũ & extraneorũ: illuminandorũ, vbi collocat primùm populũ: deniq; perficiendorum, quos dicit monachos. Hunc itaque ſublimiorẽ ordinẽ cõſtituit inter ſuſceptiuos actionũ eccleſiaſticarũ: ſed infra illos qui operãtur. Vnde ait initiã-

*Gradus ſacerdotis ſublimior eſt monachatu.*

dorum omnium ſublimior eſt monachorũ ordo. At verò eos in dedicatione neutrum genu ponere dicit, nec euangelia capiti impoſita habere: quòd eorũ non ſit alios ex officio adducere. Itaque etſi nõ faciat eos aſſeclas diaconorum & presbqterorum, ſed pontificum duntaxat, quib⁹ debent proximi eſſe: dum tamẽ inter initiandos collocat, ſatis oſtẽdit inferiores eſſe miniſtris omnibus. Hoc ipſum etiam, quanquam longo poſt tempore, Rabanus lib. 1. de inſtitutione clericorum docuit, cùm inter tres ordines eccleſiæ primum laicorum, ſecundum monachorum, tertiũ, clericorũ omniũ ponit. Vbi poſſet fortè videri alicui, etiam inferiores ordines monachatu digniores eſſe: ſed quia in illis non eſt perpetua obligatio ad tractanda miniſteria eccleſiaſtica, meritò de illis non agimus. Sacros verò omnes nõ dubitandũ eſt maiorem ſanctimoniam requirere.

Cap. 2.

Quod

Quod eò dicimus, vt incipiant ſacerdotes & miniſtri eccleſiæ cogitare, ad quantã ſanctitatem ſint aſtricti, nec facilè ſibi blandiãtur de habitu aut conuerſatione ſæculari, multò minus de conſuetudine aliqua aut vulgi æſtimatione. Aduertant ſe per ſacros ornines, conſtitutos eſſe miniſtros Chriſti, & diſpenſatores gratiæ, atque ita quædã inſtrumenta ipſius: vnde fit, vt iniuriam magnã irrogent ipſi, & miniſteria eius prophanent ac conculcent, non ſolùm cùm ea ſordidis animis cõtrectant (quod ſuperius diximus eſſe mortale ſacrilegium) ſed etiã cùm viuunt indignè Chriſto, cui conſecrati ſunt & dedicati. Hinc b.Thomas hoc ipſum tractans 2.2. grauius (inquit) peccat clericus in ſacris conſtitutus, & agẽs aliquid cõtrariũ ſanctitati, quàm monachus. Certè, ſi rectè hoc pẽſetur, omne eorum peccatum mortale, ſacrilegiũ meritò iudicari poteſt. Eſt enim prophanatio

*qu.184. art. 8.*

*Peccata ſacerdotum ſũt grauiora peccatis monachorũ*

ſacri illius inſtrumẽti Chriſti, & ſanè vſus illius omnino contrarius eſt illi, ad quẽ conſecratũ eſt: quod nõ ita æquè & vniuerſaliter de monacho dici poteſt. Si dignè pẽſetur, quantũ ſit eſſe miniſtrũ Chriſti, et vas ad oẽ op⁹ bonũ paratũ: apparebit quãto maioris ſanctitatis ſit hic grad⁹ q̃ quiuis ali⁹ in eccleſia. Hoc igitur in cõmuni ſit dictũ: nũc ad ſpecialia

Igitur primò omnium, quales miniſtri eccleſiæ eſſe debeãt, Paulus docet, cum & Timotheo & Tito præſcribit rationem ordinãdi illos in eccleſia. Timotheo itaque ſic ſcribit: Oportet epiſcopũ irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, nõ vinolentum & cæt. Et: Diaconos ſimiliter (inquit) pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes &c. Et rurſum ad Titum de epiſcopis eadem ferè repetit. Oportet enim (inquit) epiſcopũ eſſe ſine

*1. ad Timoth. 3.*

*Tit. 1.*

cri-

crimine, tanquam Dei diſpenſatorem &c. quæ apud illum leguntur. Vbi de epiſcopis & diaconibus loquens, manifeſtè ſacros omnes gradus inſtruit. Hæc itaq; loca Pauli ſunt primò ante oculos habenda: & certè omnia ferè, quę in illis epiſtolis ad diſcipulos ſcribit. Inſtruunt enim illæ propriè omnes miniſtros eccleſiæ, & oſtendunt ad quid natura ipſa ſacrorum ordinum & ius diuinum eos aſtringat: ex quib' multa deinde exponentes & explicantes addiderunt patres: & inter cætera illorũ ſcripta, paſtoralis ille liber Gregorij meritò commendãdus eſt: Epiſtola etiam Hieronimi ad Nepotianum, de vita clericorum, eſt meritò habenda ante oculos: Multa etiã in antiquis concilijs tradita ſunt: ex quibus non pauca collegit Gratianus à diſtin. 40. vſque ad 50. omnia in horum locorũ Pauli expoſitionem. Multis etiam præcedentibus diſtinctionibus ex concilijs

& patribus non pauca collegit.
c. His igitur. Et inter reliquas diſt.in.23. habet pulchrum locum Iſidori de vita cleri. Ex ijſdem etiam poſtea partim collecta, partim ſtatuta ſunt, quæ titulo de vita & honeſtate clericorum, in iure canonico habētur. Vbi ſi poſitiua aliqua iueniūtur ſtatuta, nō aliud ſunt quā explicatio quędā, aut determinatio eorū quæ diuini ſunt iuris.

Vt igitur ad ſpecialia accedamus, vniuerſa illa quæ ad mores, vitam, atque actiones miniſtrorum eccleſiæ vel diuino, vel humano iure pertinēt, ad tria capita reduci poſſūt. Primū, quod pertinet ad pietatem & religionē, quibus immediatè Deus colitur, et ipſi mens humana cōiungitur quod meritò peculiariter miniſtris Dei tribuēdū eſt: vt videlicet inſigniter & eminēter religioſi ſint & cultores Dei, ipſicꝫ magis vniantur. Ad hoc pertinēt exercitia omnia, ſacræ lectiones, meditationes, & orationes: quibus

*de pietate & religione miniſtrorū Chriſti.*

quàm

quàm frequenter Paulus dicit exercendos eſſe miniſtros Chriſti? Quamobrẽ etiam ab alijs omnibus iubet eos abſtinere. Nemo (inquit) militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus: oſtendẽs continuò, quis debeat eſſe ſcopus totius vitæ miniſtrorum, cùm dicit: Vt ei placeat, cui ſe probauit. Hoc igitur ſit primũ caput. Secundum caput eſt eorum quæ pertinent ad temperantiam, quæ maximè in abſtinentia cibi et potus, & in caſtitate ſita eſt; quæ ſunt maxima & præcipua ornamenta miniſtrorum Chriſti: Sobrium (inquit Paulus) pudicum, non vinolentum. Pertinent etiã huc, quæ ad modeſtiam, et mortificationem affectuum omnium ac ſenſuum ſpectant. Vnde ait: Modeſtum, non bilinguem, non litigiòſum. Et Paulus frequentiſſimè ad iſta omnia hortatur, etiã exẽplo ſuo: Caſtigo, inquit, corpus meum, & in ſeruitutem redigo. Quæ omnia propinqua ſũt reli-

*De tẽperãtia, cõtinẽtia, & modeſtia miniſtrorũ eccleſiæ.*

religiõi & pietati, maximéq; ad
illã diſponũt. Tertiũ deniq; caput
*De vitãda auaritia & moderanda cupiditate.*
ſit eorũ, quę ptinẽt ad moderatio
nẽ appetit⁹ habẽdi, cõtra auaritiã
ſcilicet & cupiditatẽ: vbi liberali
tas cõprehẽditur & eleemoſyna.
De quib⁹ Paul. Nõ cupidũ: Et rur
ſum: Nõ turpis lucri cupidũ, &c.
Hęc enĩ moderatio quãtũ euãge
lica doctrina cõmẽdetur, & q̃ ſit
neceſſaria miniſtris Chriſti: innu
meris locis oſtẽditur. Ipſe dñs di-
cit: Nolite portare aurũ neq; arg.
&c. Quod Pau. exponẽs, ait maxi
mè miniſtris: Habẽtes alimẽta et
quib⁹ tegamur, his cõtenti ſim⁹:
&cæt. quę ad hãc cõfirmandã ſen
*Mat. 10.*
tẽtiã grauiſsimè ibi dicit. Eſt (in-
*1. Timo. 6.*
quit quæſt⁹ magn⁹, pietas cũ ſuf-
ficiẽtia: & multa alia. De his itaq;
trib⁹ capitib⁹ dicendũ eſt ordine,
vt ita ab hoc vltimo incipiẽtes,
ad duo priora progrediamur.

## LECTIO SECVNDA.

### De moderato appetitu habendi.

INter illa igitur, quæ ad
vitã et mores ſacerdotũ
ac miniſtrorũ oĩum ec-
cleſiæ pertinent, meritò

primũ eſt, quod ad auaritiã reprimendã traditur. Vñ & Hier. in epiſ. illa vitã clericorũ inſtituẽs, hinc incepit: & ex noĩe ipſo clerici rõe ſũpta: Noĩs, inquit, ſui definitiõe prolata nitatur eſſe quod dicitur. Et mox nomẽ clerici à ſorte dictũ ſignificãs: qa vel ipſi de ſorte Dñi ſũt, vel Dñs pars eorũ: adeo vrget hoc argumẽtũ, vt ferè videatur illis tãquã neceſſariã imponere paupertatẽ, et rerũ oĩum renũciationẽ: Qui dñm (inquit) poſsidet, nihil extra Dñm habere poteſt: quod ſi quippiam habuerit præter Dñm, pars eiꝰ non erit dñs. Et rurſũ Si aũt ego pars Dñi ſũ, & altaris oblatiõe ſuſtẽtor, habẽs alimẽtũ & veſtitũ: his cõtẽtus ero, & nudꝰ nudã crucẽ ſequar. Et mox: obſecro te (inquit) ne officiũ clericatus genꝰ antiquę militię putes, id eſt, ne lucra ſęculi in Chriſti quęras militia. Ex quibꝰ ſatis oſtẽditur, quòd Hiero. ſi nõ paupertatẽ tãquã neceſſariã docet, tñ lucra et diuitias ex militia Chriſti quęrere, oĩno dãnat. Nõnulli (inquit) ſũt ditiores monachi, quã fuerũt ante ſæculares: & clerici, qui poſsidẽt opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & fallaci diabolo nõ poſſederãt. Multa ſũt in illa Epiſt. Hieron. de hac re, & frequentius in hoc argumento verſatur. Clericũ (in

quit) negociatorem, & ex inope diuitem, quaſi quandam peſtem fuge. Deinde: Gloria Epiſcopi eſt pauperum opibus prouidere: ignominia ſacerdotum, proprijs ſtudere diuitijs. Et ibidem contra pompam veſtium ac ędificiorũ ſplendorem, etiam in ipſis tẽplis, ita loquitur, vt hæc cum cæteris, quæ in lege veteri permiſſa erant, proijcienda dicat. Hæc itaq; Hiero. De qua re vt nos ordine aliquid dicamus, & totam hanc materiã, poſt illa, quæ ſuperius, cùm de ſacramento ordinis ageremus, circa ſimoniam dicta ſunt à prĩcipio totã repetẽtes, videamus quomodo circa hanc rẽ primùm Chriſtus & Apoſt. dein de primitiua eccleſia & eorũ diſcipuli ſe geſſerint: tũ quid deinceps ſequentibus tẽporibus actũ & ſtatutũ ſit in cõcilijs: vt deniq; ex his quaſi ex veris fundamẽtis, quid nunc ſentiendum ſit, intueri poſsimus.

Illud certò conſtat, Chriſtum

& operibus & verbis, adeo omnem auaritiam & immoderatũ appetitum habendi impugnaſſe, vt ipſe extremam paupertatẽ (quæ videlicet neceſſaria ipſa parciſsimè ſumit, & cætera omnia & affectu & effectu contemnit & relinquit) amplexus ſit, & his, qui magiſterio ipſius adhærere vellent, eandem ſuaſerit. Ita enim reſpicienti commodum, atque ideo volenti ipſum ſequi, reſpõdit: Vulpes foueas habẽt &c. *Matt. 8.*
& filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. Et alteri diuiti adoleſcenti: Vade (inquit) & *Mat. 19.*
vẽde omnia quę habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me. Sic tandem Petrus etiam pro omnibus Apoſtolis reſpondit: Ecce nos reliquimꝰ omnia &c. Quod reſponſum (vt alibi diximus) iuxta patrum & Eccleſiæ ſenſum apertè oſtendit, non tantum quarundam rerum, & earum quæ poſsidebant ad tempus dũtaxat deſertionem, ſed perpetuam ab-

res-

renuntiationem rerum tempora lium certiſsimo propoſito firma tam. Mittamus nunc quæ deinde Apoſtolis inquit Chriſtus, euntibus ad prædicandum: Nolite portare aurũ &cęt. & quòd quicquam accipere prohibuerit pro ſpiritualibus miniſterijs: de quibus ſuperius, cùm de ſimonia ageremus, ſumus loquuti. Satis ſit ex his habere, quale circa hoc fuerit Chriſti & Apoſtolorum inſtitutum: quibus ſatis etiam oſtẽditur, quòd hæc præſagiebant, quã eſſet auaritia & cupiditas habendi futura damnoſa eccleſiæ & inimica Chriſto.

*Chriſtiani et præcipue clerici ĩ prima & antiqua eccleſia in communi vixerunt.*

Hoc inſtitutum Apoſtolorũ conſtat imitatos fuiſſe, fideles omnes primùm conuerſos ad Chriſtum, & totam Eccleſiam illam Ieroſolymitanam ſub Apoſtolorum diſciplina: Quotquot, inquit Lucas, erant poſſeſſores agrorum, vendentes adferebant precia eorum, & ponebant ante pedes Apoſtolorum, nec quiſquam

*Act. 4.*

quam

quam eorum,quæ poſsidebat aliquid ſuum eſſe dicebat. Omittamus nunc ſpecialem rationem Ieroſolymitanæ illius Eccleſiæ: quare ſcilicet à ſpiritu ſancto hoc illi perſuaſum fuerit propter imminentem deſolationē à Romanis:conſtat hoc etiam in cæteris eccleſiis gentiū vel omnino , vel magna ex parte eſſe ſeruatū: offerētib⁹ videlicet magna liberalitate Chriſtianis bona ſua eccleſiis, & miniſtris atque ſupremis diſpēſatorib.earū,in cōmunes vſus iſta diſpēſantib⁹.Ex quo,vt minimum,conſtat certò , à miniſtris Eccleſiæ hanc communitatem longo tempore ſeruatam fuiſſe, Eſt in epiſtol.5. Clemen. certum teſtimonium huius:Communis, inquit, vita omnibus neceſſaria eſt:maximè his qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum ,eorúmque diſcipulorum imitari volūt. Et multo apertius Vrbanus ille d.Ceciliæ Magiſt.decimus quint⁹

(vt puto) à Petro, hoc oſtendit in Epiſtola de hac re ſcripta ad omnes Epiſcopos: in qua etiam ſucceſſum & originem opum ac diuitiarum Eccleſiæ manifeſtat, & qualem earum deceat eſſe vſum. Principio igitur ita inquit: Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter Chriſtianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maximè inter eos, qui ad ſortẽ domini ſunt electi, id eſt clericos. Vbi citatis multis ex illo 4. cap. de venditione poſſeſsionum agrorũ, dicit, quòd videntes deinde pontifices & reliqui fideles, maiorem vtilitatem futuram Eccleſiæ, ſi agros & poſſeſsiones quas ante vendebant, traderent eccleſijs quibus præſidebant Epiſcopi, eo quòd hac ratione & præſentibus & futuris prouideretur communem vitã agentibus: cæperunt agros tradere matricibus eccleſiis, & ex eorũ ſumptibus viuere: quorũ omniũ diſpenſatores (ait) debent

bent

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bent eſſe Epiſcopi, & in ditione ſua tenere: ex quibus debent omnibus communem vitam degere volentibus, cuncta neceſſaria miniſtrare prout melius poterint: vt nemo in eis egens inueniatur: nec debent (inquit) in alios vſus conuerti, quàm Eccleſiaſticos, & prædictorum fratrum, vel indigentium: quia vota ſunt fidelium, & precia peccatorum, ac patrimonia pauperum domino ad prædictum opus explendum tradita. Et conſtat deinceps ex tota hiſtoria antiquitatis, etiam antequam decimę alicubi exigerentur aut ſoluerentur, Eccleſias fuiſſe diuites ex oblationib9 fidelium, & has diuitias in communi poſitas, tanquam loculos Chriſti diſpẽſatas fuiſſe ab Epiſcopis. Teſtatur hoc Chryſoſto. vt de eccleſia græca aliquid dicamus, homilia 67. in Matthæum: qui locus, quoniam & hoc quod agimus apertiſsimè docet, & exemplũ pulcherrimũ oſtendit diſpen-

ſpenſandorum bonorum Eccleſiæ,& certè liberalitatem, quam à cunctis Chriſtianis ſancti pontifices exigebant: notandus eſt. Vt inhumanitatem(inquit)eorũ videas(loquitur verò de diuitibus, qui quotidie permittebant pauperes fameſcere)vnius diuitis nec valde locupletis,hæc Eccleſia fructus colligens, cogita tecum quot viduis,quot virginibus quotidie ſuccurrit. Vbi numerum earum dicit in cathalogo deſcriptum,ad tria milia perueniſſe. Et præterea (inquit)auxiliatur multis laborantibus in hoſpitali aduenis,leproſis,& his qui quotidie ad petendũ accedunt,& omnibus miniſtris Eccleſiæ.Hoc itaq; longo tempore obſeruatum eſt.Collegit etiam multa de hoc vſu & tempore Gratianus 12.q.1.in priore eius parte:in qua teſtimonia attulit prohibentium proprietatem clericis. Et cùm in Eccleſia perſeuerabat prior illa ſimplicitas & ardor fidei,feliciſſimè ma-

gna

gna ex parte hac ratione viueba-
tur: quanquam non defuerint e-
tiam tunc reprehenſibiles diſpen
ſatores etiam Cypriani tempore,
vt apparet ex epiſt. quam Aug.
contra Donatiſtas quoque citat,
in qua ille negociationibus & lu-
cris intentos epiſcopos arguit.
Quorum etiam occaſione, vt cõ
ſtat, in antiquis concilijs multa
conſtituta ſunt ad reprimendam
auaritiam, & conſeruandam fide-
lem diſpenſationem bonorum ec
cleſiæ. Atque tunc etiam exortus
eſt error ille Manichęus maximè
& aliorum quoq; hæreticorum
damnantiũ omnes habentes pro
prium: ſicut vtẽtes nuptijs: quod
in Concilio Gangrenſi, propin-
quo Nicæno, damnatum eſt. Vn-
de poſtea tandem eò ventum eſt,
vt permitterentur epiſcopis &
cæteris miniſtris illa bona, quæ i-
pſis aliunde quàm ex eccleſia vel
eiꝰ ĩtuitu accederẽt: de eccleſię ve
rò bonis quatuor portiões iube-
rẽtur fieri, ita vt quarta pars pau
peri-

*Bona eccleſiæ diuiſa in quatuor portiões*

peribus quarta miniſtris, quarta fabricæ, & quarta epiſcopo cederet: quod à Gelaſio ſtatutum reperimus in epiſtola ad vniuerſos epiſcopos per Lucaniam & Brutios, quàm Gratianus citat cum pluribus eiuſdem pontificis & aliorum teſtimonijs, capite quarto & nonnullis ſequentibus, 1, 2, quæſt. 2. Hæc itaque ex antiquitate. Nunc autem, cùm ad hoc noſtro tempore ventum ſit, vt videatur portio cuique miniſtrorū iam deputata: quo modo circa eā ſe habere debeat, eſt diligentius conſiderandum.

LECTIO

# Lect. Tertia.

## QVOMODO CIRCA *bona Eccleſiaſtica habere ſe debeāt miniſtri eccleſiæ, & de reliquis cōtra auaritiam.*

IGITVR in hac quæ hodie eſt, bonorum ecclesiæ diuiſiõe & diſtributione, quomodo ſe gerere debeant, quibus hæc bona contingunt, diſputatur quidem à multis theologis & Iuriſtis, & multa ac varia ab eis traduntur: an poſsint ſcilicet donare ex illis, vel ditare ſuos, vel alienis teſtamento aut alia ratione poſt mortem relinquere. De quibus multa refert Sylueſter in verbo, Clericus 4. præcipuè ex canonibus, & doctoribus eos interpretantibus. Nos verò ſequimur b. Thomam qui. q. 186. 2. 2. art6. & 7. hanc rem rationabilius & diſtinctius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctius explicat, idque ex proprijs principijs, quæ certè ex his quæ dicta ſunt hoc loco, ſunt nobis ſumenda. Primò omnium conſtat ex decurſu totius Eccleſię ab Apoſtolis, & ipſo iure diuino, bona omnium Eccleſiarum, cùm Chriſti ſint, meritò etiam pauperum eſſe, neque vlla ratiõe aut poteſtate humana fieri poſſe, vt licitè in alios vſus, quàm eccleſiaſticos & pauperum expendi poſsint. Hoc confirmant omnia quæ ſuperius diximus: & contrarium credim⁹ errorem eſſe grauiſsimum, ſaltẽ contra bonos mores & iuſtitiam & quid ni etiam contra ſcripturã? quum Paulus dicat eſſe errorem hominum mente corruptorum, æſtimare quæſtum pietatem eſſe: Hoc itaque conſtituto, illud etiam certum eſt: nec epiſcopos, nec ſacerdotes, aut alios Eccleſiæ miniſtros aſtringi ad paupertatẽ aut renunciationem temporaliũ bonorum. Poſſunt propria poſſidere, cùm nullo voto ad cõtra-

*Miniſtri eccleſiæ non fũt aſtricti ad paupertatẽ.*

*Tim. 6.*

rium

rium ſe aſtrinxerint, vt b. Thom. ſupradicto loco docet. Hæc apertè probat cõcilij Agathen. authoritas, quã Gratian⁹ citat 1.2.q.1.ca. Epiſcopi: quo loco habẽtur etiã multæ aliæ definitiões pontificũ & conciliorum, permittentium illis tanquam propria, quæ ex hæreditate aut donatione conſanguineorum aut amicorũ habent, poſsidere. Nec (inquit beat⁹ Thomas) ad contrarium obligat eos quæcunque ſtatus perfectio ad quam tenentur. Nã in non proprietate, aut carentia bonorum temporalium, perfectio Chriſtiana non eſt poſita: ſed poteſt inter magnas diuitias perfecta caritas haberi: ſicut fuit in Abraham. Repugnat quidem perfectioni cupiditas habendi, ſollicitudo nimia à diuinis & ſpiritualibus abſtrahẽs. Et ita intelligit eodem loco b. Thomas quod ex Hier. ſuperi⁹ citauim⁹: quòd, qui aliud poſsidere vult quàm Deũ, cum Deo partem nõ habet &c.

Itaque nec illa verba Christi: Nolite portare aurum &c. (vt ibidē ex authoritate patrum, & ſanctorum exemplis oſtendit) vlla ratione obligant prædicatores, aut reliquos miniſtros ad paupertatem: ſed vel temporale fuit illud præceptum, pro eo ſcilicet tempore quo Chriſtus erat præſens: vel permiſsió tantum, eſt & facultas recipiendi temporalia: vel certè ſpiritualiter accipiēda ſunt. De bonis igitur proprijs, quæ proueniunt nō ex eccleſia, nec ex miniſterijs eccleſiaſticis, nō eſt alia ratio in eccleſiæ miniſtris, q̄ in alijs. De reliquis iam agamus.

*Diſtinctio bonorū eccleſiaſticorum.*

Sunt autem reliqua omnia bona vel commiſſa ſolùm diſpenſatiōi miniſtri, vel deputata dūtaxat in eius vſus. De primis igitur, cùm ſcilicet bona ſiue annui cenſus Eccleſiæ, non ſunt diſtincti in quatuor illas partes, de quibus diximus: ſed omnia ſimul perueniunt ad manus vel Epiſcopi, vel alterius miniſtri: conſtat

ſtat

ſtat eũ ad quem ſic perueniunt, adminiſtratorem & diſpenſatorem tantùm eſſe: quare (ſicut b. Thomas ſupradicto loco inquit) tenetur bona fide diſpẽſare. Atque ideo ſi tantum in minimo deficiat, vel ſibi tribuendo, vel alijs detrahendo: poteſt ſine peccato fieri: quia minimus defectus in huiuſmodi non tollit bonam fidem. Cæterùm ſi notabiliter multum excedat regulas iuſtę diſpenſationis, ſecundum rationem illam, eorum de quib⁹ prouidere tenetur eccleſiæ: certũ eſt eum grauiter peccare, & ad reſtitutionem teneri quatenus poſsibile fuerit. Et huc pertinere puto, quod Canoniſtæ (vt apud Sylueſtrum eſt videre) aſſerunt, miniſtrum illũ, qui cum beneficio adminiſtrationem habet bonorum eccleſiæ, nõ poſſe de illis aut eorum fructibus vel donare, vel legare, niſi in recompenſationẽ neceſſariorum obſequiorum vel ob aliam honeſtam cauſam.

*Nota.*

Primò enim videntur nonnunquam bona quæ adminiſtrat clericus, & coniuncta ſunt beneficio, ſiue illorum fructus, deputata eſſe quaſi in ſtipendium illius officij, & nõ, quaſi illi cũ alijs cõmunia, diſpenſanda ab eo: vbi, cũ nihil certum eſt, ipſa conſuetudo antiqua, quãdo deſunt inſtrumẽta, declarare poteſt, quomodo ipſi cõmiſſa & credita ſint. Vtcunque ſit, de his quæ ipſi tanquam ſtipẽdia deputata ſunt, ſentit beatus Thomas eodem modo illum diſponere poſſe, quo de proprijs bonis diſponit. Quare (inquit) peccare poteſt vel ex immoderato affectu, vel ex vſu: cùm videlicet plura retinet ſibi, & pauciora alijs tribuit, quã charitatis ratio exigat. Vbi non pauca ſunt conſideranda. Primò, quòd multis videatur propter diſtributionem illam in quatuor portiones iam factam, miniſtros Elcceſiæ de illis bonis quæ ipſis pro portione obueniunt, diſpo-

*Diuiſio bonorũ Eccleſiæ in quatuor portiões nõ excuſat omnino*

nere poſſe tanquam de proprijs. Hoc certè non ſatis conſtat: neque apparet in bonis & cenſibus Eccleſiarum, quomodo fuerit quarta pars relicta pauperibus, etiam ſi forte inueniantur hoſpitales domus, ex aliquorum miniſtrorum miſericordia ædificatæ cum ſumptibus & redditibus in pauperum vſus. Neque ſatis apparet diſtributionem illam iuxta antiquam Eccleſiæ regulam eſſe factam. Non enim volebant antiqua iura minus dari pauperibus ex redditibus Eccleſiæ, quàm ipſis Epiſcopis. Nec (vt Gregorius inquit, apud Gratianum ſupradicto loco) diuiſio illa de antiquis tantum, ſed de omnibus etiam quæ ad Eccleſiam quacunque ratione veniunt, fieri præcipitur. Quare nulla ratione videtur ſatisfactum pauperibus, niſi cũ reliquæ oẽs partes oneratę manẽt eleemoſyna neceſſaria, vt minimum, iuxta neceſsitatẽ pauperũ, & propriã facienda. Fa-

*1.2.q.2. cap. Cognouimus.*

tetur b. Thomas ſupradicto loco: quod, & ſi de his quæ deputata ſunt vſui miniſtri, poſsit ſibi ſubtrahere, & ſuis conſanguineis dare: non tamen ita, vt eos ditiores faciat. Hoc enim (vt ex fundamẽto prius poſito patet) alienũ eſt à natura bonorũ Eccleſiaſticorũ. Addit etiam eodẽ loco, propter beati Hieronymi authoritatem in epiſtola ad Damaſum, et propter locũ Pauli ad Timoth. 5. Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, ne grauetur eccleſia: non poſſe miniſtrum, qui patrimonialia bona habet, ex redditibus Eccleſiæ viuere in neceſsitate vel captiuorum vel pauperũ. Vbi vero nulla eſſet neceſsitas, poſſet etiam patrimoniũ habens, ex eccleſię bonis viuere. Vbi etiã illud d. Hieronymi locum habet in Epiſtola ad Nepotianum: Accepiſſe quod pauperibus erogandum erat, & eſurientibus pluri mis vel cautum eſſe, vel timidũ, aut, quod aperriſsimi ſceleris eſt,

*Cõtra illos q̃ ex bonis Eccleſ. amicos ditant.*

*Quib⁹ et quando non liceat viuere ex bonis eccleſiæ.*

inde

inde aliquid ſubtrahere : omnem prædonum crudelitatem ſuperat. Denique aſſerit eodem loco b. Thomas, nec theſaurizare Eccleſiæ ipſi, nec eius facultates augere poſſe quempiam, quando ſunt qui egent. Ex quibus omnibus, quæ ſupradictis reſpondent, oſtenditur ſatis, etiam facta quacunque diuiſione, & applicatis quocunque modo fructibus eccleſiarum miniſtris : non poſſe licitè ex eis aliud quæri, quàm ſuſtentationem, honeſtam quidem pro qualitate miniſtri & miniſterij. Nam Paulꝰ duplici honore dicit dignos eſſe præsbyteros, qui bene præſunt, maximè qui laborant in verbo. Quando verò peccatum mortale vel veniale ſit, in hoc exceſſu, nō eſt difficile ex ſupradictis videre. Si enim exceſſus in his, aut defectꝰ peccatū eſt, & cōtra naturā ipſorū bonorū eccleſię & miniſteriorū Chriſti: notabilis & magnꝰ exceſſus vel defectꝰ graue peccatū erit atq; ita mortale.

*Contra eos qui Eccleſiæ thezauriſant.*

*De reſtitutione bonorū eccleſię.*

tale.Rurſum, an ad reſtitutionē
hoc peccatum obliget: ita vide-
licet, vt vel qui dant, de ſuo re-
ſtituant Eccleſiæ: vel etiam cùm
id non poſſunt, qui receperunt,
teneantur reſtituere: maior eſt
queſtio, et maxima certè, ſi quàm
multos tangat, & ad quot ſe ex-
tendat, cogitetur. In portione igi
tur diuiſa & deputata miniſtro
ad ſuos vſus, credi poſſet nulla re
ſtitutione opus eſſe, cùm ipſius il
la ſit. Et hoc beatus Thomas ſu-
pradicto loco videtur dicere.

*de bonis eccleſ. aperte excedētib⁹ honeſtā ſuſtentationem.*

Probat tamen eodem loco Caie-
tanus, redditus manifeſtè excedē
tes honeſtā miniſtri ſuſtētatio-
nem, ipſi datos eſſe tanquā diſpē-
ſandos in pauperes: quod vera
ratio habet: alioqui irrationabili-
ter illi deputarentur. Probat rur-
ſus idem quæſt. 87.2.2. decimas
ipſas non poſſe conuenienter exi
gi, niſi diſpenſandas in pauperes:
cùm nulla ratio patiatur, vt ditio
res ſint miniſtri noui teſtamen-
ti, quàm fuerint veteris, & tamē

his,

his,cũ eſſent duodecima pars populi,decima tantum dabatur; noſtri verò nũc vix ſunt centeſima pars populi:qua ergo ratione tãtum eis dandũ eſt, quantum illis, niſi vt diſpenſent in pauperes? Igitur non facilè in amplis & abundantibus redditibus putent miniſtri eccleſiæ ſe poſſe tanquã de proprijs agere; neque qui ab eis recipiunt, ſecuros ſe iudicent. Non immeritò Hieronymus tã multa dixit contra miniſtros ditari volentes; non ſine ratione antiqua eccleſia ſuis vſa eſt bonis tanquã pauperũ & Chriſtianorũ omnium egentium, atque ita illis communibus.

*De pluralitate beneficiorum.*

Hæc itaq; dicta ſint etiã de his, qui in eccleſia vno contenti beneficio, vna dignitate aut miniſterio, fructibus ei deputatis vtũtur. Nũc ex his, quid de pluralitate beneficiorũ ſentiẽdũ ſit, manifeſtũ eſt. De qua re, quanquã multæ ſint Iuriſtarũ quæſtiões, præcipuè de diſpẽſatione in pluralitate

be-

beneficiorum, illud tamen certò conſtare debet, quòd in diuino iudicio nulla excuſatio prętēdi poteſt in plurimorum beneficiorū retentione: ſi ad luxum & abundantiam eis vtatur qui illa poſſidet: cùm nec fructibus vnius ad hoc vti poſſit: multò minus ſi ad ſuos ditādos, & alia ſuperflua aut ædificia, aut ornamenta augenda vtatur. Cùm verò ad honeſtatē vel vno, vel pluribus beneficijs quis vtitur: ſi quidem ſine damno eccleſiæ, imò cum eius vtilitate id fiat: non ſolùm videlicet ſine ſcandalo populi, ſed etiā cū ædificatione: ſanctè diſpenſatur in pluribus. In quibus tamen diſpenſationibus conſiderandum eſt, nōnunquam diſpenſantes rectè agere, neque tamen eos cum quibus diſpenſatur, tutos eſſe: cū videlicet nimia improbitate & auaritia exigunt, quod Eccleſia, vt eorum opera (quæ ipſi fortè neceſſaria eſt) vtatur, concedit. Attendat itaq; quilibet quā-

tum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tũ ſeruiat eccleſiæ, quàm illi vti=
le ſit quòd vnum vel duo habeat
beneficia: & nullus ſibi blandia=
tur aut de nobilitate, aut de eru=
ditione, ſi hęc eccleſiæ parũ pro=
ſint aut ſeruiant. Hæc itaque o=
ſtendunt, quàm ſit miniſtris ec=
cleſiæ reprimẽda auaritia. Et hęc
quidẽ omnia iure ipſo diuino cõ=
ſtãt, vt patet. Iam verò quæ iure
poſitiuo ſuperaddita ſunt, quan=
quã ex ipſo iure diuino depẽden=
tia, explicemus.

Multa itaq; prohibent iura & antiqua concilia clericis hac ra=tione, qua tenentur fugere auaritiam. Primùm, ſæcularia nego=tia exercere: quod Paulus rectè tãquam ex ipſo iure diuino pro=hibet. Nemo (inquit) militans Deo, implicat ſe negotijs ſæcula=ribus: vt ei placeat, cui ſe proba=uit. Vnde & in decret. eſt hic titu lus, Clerici vel monachi ſæculari bus ſe negotijs non immiſceant. Cõſtat itaq; hoc nomine prohi=beri clericis officiũ mercatorũ, &

*Quæ ſint cle=rlcis iu=re prohi bita ad vitandã auaritiã vel ob in dignita=tem.*

*2. Timo. 2.*

co=

eorum qui emptioni aut vendi-
tioni ad augendam ſubſtantiam
inſiſtunt. Secundò etiã, officium
procuratorum & aduocatorum
in ſæcularibus cauſis, niſi fortè
pro defenſiõe pupillorum & vi-
duarum: & denique adminiſtra-
tiones temporalium reipublicæ
officiorum: vt iudicem eſſe, aut
præpoſitũ, miniſtrũ, notarium,
aut ſimile quippiam adminiſtra-
re. De quo etiã Hieronymus ſu-
pradicta epiſtola: Procuratores
& diſpenſatores (inquit) domorũ
alienarum atque villarum, quo-
modo poſſunt eſſe clerici, qui
proprias iubentur facultates con
temnere? Tantùm itaq; aliquod
artificium manuale, vel agricul-
turam honeſtè exercere permit-
titur clericis, ſine tamẽ iactura ec
cleſiaſtici miniſterij. Prohiben-
tur etiã quædã alia officia, nõ ob
auaritiã tãtùm, ſed ob indignitatẽ
eorũ, quia nõ conueniunt digni-
tati clericali: vt tabernariorum,
macellariorũ, de quo Clemens 5.
de

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

de vita & honeſt.cler. Clem. prima, vbi per ſe, & publicè hæc exercere prohibentur: & multò magis quæ his indigniora ſunt: vt Silueſter notat in verbo Cler. 3. vbi de his lati⁹. Officiū etiā hiſtrionis eadē ratione illis prohibetur. Cùm hæc itaqꝫ omnia iuris poſitiui ſint meritò quàm grauiter peccetur cōtra hęc oīa, dubitatur. Certè iura ipſa grauiſsimè prohibēt: ſub excōmunicatiōe videlicet aut amiſsione priuilegij clericalis. Quare Silueſt. non dubitat cōtra ea mortaliter peccari maximè (vt Caiet. inquit) poſt admonitoinē & cōtumaciā. Igitur circa hæc grauiter & notabiliter delinquere, meritò mortale creditur: ſed in minimo contra horū aliquid agere, maximè cū finis pręcepti non omittitur: cùm nec ex nimia cupiditate, nec cum mana clericalis dignitatis irreuerentia fit: non eſt iudicandū mortale, pręcipuè vbi prælati diſsimulant. De quare inferius plura:

LECTIO

# Lect. Quarta

## DE HIS QVAE AD TEMperantiam miniſtrorum eccleſiæ pertinent, & cæteris quæ ad pietatem ac religionẽ.

*Temperãtia eſt inſigne ornamẽtum cleri.*

POST hæc meritò ſecũdum locum tenent, quę ad temperantiã omnẽ: tam ſcilicet quæ delectationes cibi & potus, quàm etiam quæ veneream voluptatem moderatur: & deniq;, quę in externis omnibus verbis, operibus, geſtib⁹ ac ornatu modum ſtatuit, pertinent. Hæc enim quantum deceat ac ornet ſacerdotes, & cæteros eccleſiæ miniſtros, ex locis Pauli ſuperius allegatis ſatis conſtat, & ex natura huius virtutis, cui meritò nitor quidam & ſplendor atq; pulchritudo animi tribuitur qua etiam docet ſcriptura, Deum vnicè delectari, iuxta id quod myſticè in pſalmo dicitur. Myr-

rha

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rha & gutta & caſia à veſtimen
tis tuis, à domib⁹ eburneis, ex qui
bus delectauerunt te filiæ regũ in
honore tuo. Deniq; vitia contra-
ria obtundunt ac obſcurant aci-
em mentis, & ineptã reddunt ad
diuinarum rerum ſpeculationẽ:
cui debent potiſsimùm miniſtri
Eccleſiæ vacare.

Igitur poſt contemptum ter-
renorum, vel eorum modera-
tum affectum, ad ſeipſos opus
eſt, vt ſe conuertant miniſtri ec-
cleſiæ, & corpori ſuo domi-
nentur, vt cum Paulo dicant:
Caſtigo corpus meum & in ſer-
uitutem redigo: ne fortè cum
alijs prædicauerim, ipſe repro
bus efficiar. Neceſſaria cer-
tè eſt temperantia Chriſtianis
omnibus: quibus inquit Chri-
ſtus: Cauete ne grauentur
corda veſtra crapula aut ebrie- *Luc. 21.*
tate. Et rurſum: Sint lumbi ve-
ſtri præcincti, & lucernæ arden-
tes &c. Sed miniſtris eccleſiæ di-
citur à Paulo: In omnibus exhi- *Luc. 12.*

bea

beamus noſmetipſos, ſicut Dei
2.Co. 6. miniſtros, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate: quaſi morientes, & ecce viuimus: vt caſtigati, & non mortificati &c.

*De caſtitate miniſtrorũ eccleſię.*

Vt igitur de ſingulis breuiter aliquid dicamus. Primò caſtitatis ita miniſtris eccleſiæ ex natura ipſorum ordinum conuenit (vt ſicut ſuperius oſtendimus) ſanctiſſimè eccleſia ſtatuerit, etiam ex apoſtolorum traditione, nemini eſſe dãdos ſacros ordines, niſi cui coelibatus placeret, & qui ad illũ voto ſe vellet aſtringere. Itaque iam ex proprio voto, & eccleſiæ ſtatuto coniuncta eſt ordinibus ſacris caſtitas, non quæcunq; ſed illa quæ ſupererogationis eſt: perfecta ſcilicet abdicatio totius venereæ delectationis: de qua non eſt opus multa dicere. Multa exigit ad ſui cuſtodiam hæc virtus, nec poteſt negligentia & in ocio ſeruari. Hæc igitur ad eam ſeruandam patres & concilia non tam ſuperaddiderunt, quàm declara-

runt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

runt ex natura ipſa neceſſaria eſſe ad illam cuſtodiendam.

*De interdicta cohabitatione mulierum.*

Primò cohabitatio mulierum prohibetur, dicente d. Hieronymo in ſupradicta epiſtola. Nunquid tu aut Sãſone fortior, aut Salomone ſapientior eris: qui tamen deiecti ſunt per mulieres? Habetur titulus quidam in Iure, de cohabitatione clericorum & mulierum: vbi conciliorum & pontificum multis decretis cohabitatio hæc prohibetur, in quibuſdam mitius, in alijs ſeuerius: pro qualitate videlicet temporũ, locorum, & morum, & ſecundũ alias cauſas occurrentes: cæterũ omnia in hoc vno conueniunt, grauiſsimum periculum ex cohabitatione mulierum impendere. Quidam canones prohibent: extraneas tantùm mulieres, & concedunt matrem, amitam, aut ſororem: alij omnes prohibent: nõnulli ſolas ſuſpectas. Ex quibus omnibus ſatis patet, quàm ſit periculoſa hæc cohabitatio. Et quidẽ

dē(vt Silueſt. ait ī verbo Cleric⁹ 2. para. 4.) habitatio cū ſuſpecta, proculdubiò peccatum eſt, etiā mortale: aut etiā cū periculo aut ſcādalo cohabitare: quę quāta ſint, iudicādū eſt ex circūſtantijs, & iuxta has maius aūt minus peccatū cē-ſebitur. Prohibetur etiā hac ratione frequētatio monaſteriorū monialiū, & dulces literæ, ad collo-quia ſecreta cū mulierib⁹, & ī infirmitate, pati ſibi à muliere miniſtrari. Quæ oīa, & ſimilia multa, oīa ſcilicet quę carnalē amorē excitare vel augere ſolent, b. Hie. ſu pradicta epiſtola ad Nepotianū, quàm ſint periculoſa, oſtendit, & ab his deterret eccleſiæ miniſtros. Videant igitur nunc, quā ſit temerarium tā facilè ſibi hæc omnia permittere. Excuſari quidem poſſunt prælatorum conniuentia & permiſsione, qui bona fide hæc agunt; ſed pericula quāta ſint, ipſa experientia oſtendit. Cauſantur multi neceſsitates vitæ & alia, Legant tractatum d.

Cypriani(ſi tamē eiꝰ eſt)de ſingu
laritate clericorum. Vidi Iohan-
nis Matthæi epiſcopi, Veroneſi.
vnius noſtrorum temporum ve
ri epiſcopi, conſtitutionē meo iu
dicio multa prudentia & æquita-
te moderatam. Statuit ille, vt
nulla omnino domi haberetur
mulier, ſine ſua in ſcriptis habita
facultate: quia intentionis (in-
quit) noſtræ eſt, optimè & diligē
tiſsimè prius inueſtigare quæ ſit
mulier illa, cuius vitę, famę & o-
pinionis. De concubinatu verò
non eſt opus multa dicere: certū
eſt enim, nihil magis Dei iram
prouocare, & ſcandalizare popu
lum, quàm hoc malum: de cuius
emendatione & punitione opor *De conַcubinat.*
tebat certè magis ſeriò cogitare:
& ſi non ſecundum ſeueritatem
ãtiquorū canonū, ſaltē quod ad e-
mendationē verā ſufficeret, adhi
bere remedium, aliâs certum eſt
nulla ratione excuſari eos aut prę
latos.

His proxima ſunt quæ ad tem

*De tẽperãtia cibi & potus. quę prohibita et præcepta clericis circa cibũ & potũ.*

perantiam cibi & potus pertinẽt. Ebrietas igitur & commeſſatio, quæ omnibus prohibentur, multò magis clericis: luxuriam accendunt, ac ſenſum hebetãt. Pinguis ſenſus, inquit d. Hieronymus (vt græcus quidam eleganter ait) nõ gignit mentem tenuem. Quare (inquit ibidem) tantum tibi ieiuniorum modum impone, quantũ potes ferre. Ad hæc vitia cauenda, concilia & patres prohibent clericis quæ ſequũtur. Compotationibus intereſſe, cõtendere, aut ſeinuicem inuitare, aut prouocare poculis, plauſus & riſus inconditos, inanes fabulas referre aut cãtare in cõuiuijs, tabernas ingredi, niſi in via, neceſſitatis videlicet cauſa: imò nec conuiuia, publica maximè & prophana eis licita ſunt: ſed permittuntur honeſta & eccleſiaſt. Ordinauit is de quo diximus, Veronenſis epiſcopus, vt non niſi tria fercula apponerentur in conuiuijs. Adeo quoque ſollicitus fuit, vt canonicè &

abſq;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

abſq; ſcãdalo viuerent clerici, vt
deputauerit etiam honeſtas do-
mos in ciuitate ſua ad quas clerici
venientes diuerterent. Hæc itaq;
prohibentur clericis circa gulam.
Contra quam etiam mandatur
eis, vt non niſi benedictione, &
gratiarum actione pręmiſſa, co-
medant, nec ſine ſacra lectione.
De quibus omnibus diſt. 44. plu
ra decreta citauit Gratianꝰ. Quã-
uis igitur circa hæc dubitari poſ-
ſit, quantum peccatum ſit ſingu-
lorum tranſgreſsio: non tamẽ eſt
opus, vt de ſingulis ſpecialius ali
quid dicamꝰ. Certũ enim eſt ma-
iorem hic eſſe prælatorum culpã,
cùm non curant hæc ſeruari: quã
ſubditorũ, qui bona fide, aut quia
non ſunt conſueta, illa omittunt,
maximè ceſſãte ſcãdalo & peri-
culo. Quare inter illa oĩa, nõ vide
mus quomodo ingreſſus taber-
narum & compotationes non
ſint grauia & ſubditis & prælatis.
Reliqua, maximè cùm pręter in-
obedientiam & ſcandalum ma-

gis

gis negligentia quadam fiunt,nõ poſſumus damnare grauioris pec cati in ſubditis;ſed neſcimus quo modo prælati excuſari poſsint, ſi illa omnia negligantur.

*De modeſtia et honeſtate veſtiũ*

Tertio loco dicamus quædam de his quæ ad modeſtiam & honeſtatẽ veſtiũ ac ornat⁹ pertinẽt. De quibus cõuenienti etiã ratione multa clericis pręcipiũtur:quę videre licet apud Silueſtrũ in verbo,Clericus 2.para.3.Igitur prohibentur comã vel barbam nutrire: pręcipiuntur coronam manifeſtè geſtare.Circa ſęculares etiã veſtes multa prohibita ſunt: vt diuerſi ſiue varij coloris veſtes ferre, & multa alia veſtimentorum genera,quæ omnino ſecularia ſunt:de quibus etiam omnibus diſputat Silueſter ſupradicto loco ex alijs, quid mortale, quid veniale ſit: maximè de corona, quæ ordini pręcipuè videtur annexa.De quibus nõ eſt opus plura dicere, quã vt intentio & conſuetudo,& cætera conſiderentur,& maximè finis:

niſ:an videlicet ex cõtemptu aut omiſsione honeſtatis aut grauitatis clericalis, breuioribus aut ſæcularibus veſtibus cleric⁹ vtatur, an potius ex quadam conſuetudine & bona fide. Neceſſe tamen eſt vt ſemper vigilet prȩlatorũ cura.

*De religione et pietate clericorum.*

Reſtat vltimò, vt de his quæ ad cultum Dei pertinent & pietatem admoneamus. Ad quæ reuerà tantò magis aſtricti ſunt ſacerdotes & miniſtri eccleſiæ, quantò finis magis obligat quàm medium. Ad hoc enim ordinantur prȩcipuè, vt medij ſint inter Deum & homines, vt Paulus ait, vt offerant dona & ſacrificia pro peccatis. *Heb. 5.* Adminiſtrant quidem illi diuina hominibus: ſed vt hæc vtilia illis ſint, vt dignè ea ſuſcipiãt, *Ibidem.* prius oratione obtinere debent apud Deum. Nec tantùm pro populo, vt Paulus inquit, ſed etiam pro ſeipſis orare debẽt, qui circũdati ſunt infirmitate. Itaque hoc ex natura ipſa ordinum, atque ideo ex iure diuino eſt, vt ad aſsiduè

oran

orandũ & contemplandũ & me-
ditãdũ cæleſtia ac diuina &ad cę-
tera pietatis exercitia,quę ad hęc
ordinantur , vt ad lectionem,
vigilias,& ſimilia teneantur:idq;
1.Timo. duplici ratiõe . Primo, ex debito
2. quo obligati ſunt eccleſiæ,& po-
pulo:de quo verbũ illud Pauli in
tellexerũt patres:Obſecro primũ
oĩm fieri obſecrationes , oratio-
nes,poſtulatiões &c.pro omnibꝰ
hominibꝰ regibꝰ,&c.quod de pu
blicis eccleſiæ orationibus con-
ſtat eſſe intelligendum : cùm ibi
poſtea de priuatis ſubiungat: Vo
lo viros orare in omni loco:ſimi
liter & mulieres.Et Aug. epiſto.
ad Paulinum epiſcopum,de ora-
tionibus quæ in eccleſia ſub ipſo
fiunt ſacrificio,intelligit : in qui-
Epiſ.59. bus quatuor illa orationum gene
ra oſtendit inueniri.Tenentur e-
tiam ſecundò ad prædicta , pro-
pter ſe.Nec enim ſanctitas illa vi
tæ,caſtitas & puritas ad quã tenẽ
tur,ſine aſsidua oratione,medita
tione,vigilijs&, lachriymis obti
ne

netur. Omnibus dicit Chriſtus: oportet ſemper orare. Et Paul⁹: Sine intermiſsione orate. Quãto igitur magis his qui coniunctiores illi ſunt, & qui ab eccleſia vniuerſa ac populo legati miſsi ſunt ad Deũ: Cùm enĩ nõ poſsint oẽs propter vitæ præſentis neceſsitates, & impedimenta carnis aut ſemper aut aſsiduè vt oportet orare: naturali ratione & diuina diſpenſatione factum eſt, vt aliqui deputarentur ad hoc pro omnibus agẽdum, & ideo cõmunibus ſtipendijs alerentur. Vt igitur in ſpeciali dicamus, tenentur primùm ad perſoluendas horas illas canonicas ſeptem, quas Eccleſia iam conſtituit. Nã fatemur fuiſſe circa hanc rem diuerſam conſuetudinẽ, de qua ſuperius nonnihil diximus, cũ de ſacramento ordinis ageremus. Et primò quidem in eccleſia, cõmuni ſcilicet cõuentu, certis horis miniſtri cõgregati orabant: poſtea, facta nõ parua mutatione, ſtatutę ſunt tanquam

*Luc. 18.*
*1. Theſ. 5.*

*De lectiõe horarũ canonicarum.*

quotidianũ pẽſum horę ſeptẽ ca=
nonicę:ad quas vel ſimul,vel pri
uatim legẽdas obligantur oẽs ſa=
cris initiati,& monachi profeſsi
ac deputati ad ſacros ordines.

De iſtis horis igitur ſunt non=
nulla dubia,de quibus conſulan=
tur Summiſtę, & præcipuè Silue
ſter & Caietanus in titulo, Horæ
canonicæ:quæ tamen nec magna
ſunt,nec difficilia . Primùm cõ
ſtat illos teneri ad perſoluendas
horas ſtudioſè & deuotè : ſicut
Innoc.3.in concilio generali non
tam reuerà ſtatuit , quàm decla=
rat : vt habetur in cap.dolẽtes,de
celeb.miſſarũ . Obligantur enim
ex propoſito & intentione non
auertere cogitationem à diuino
officio,nec circa alia vagari : ſed
ad ipſum perſoluendum accede=
re intẽtione ſatisfaciẽdi eccleſiæ,
& Deũ orandi. Quo facto ſatiſ=
faciũt,ſi attenti ſunt vel ad inte=
gram prolationẽ verborũ,vel ad
ſeſum,vel quod multò meli⁹ eſt,
ad finem , Chriſtum ſcilicet cru=

*De deuotione & attentione in lectiõe horarum.*

cifi=

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cifixum, diuinam bonitatem ei⁹, beneficia, coeleſtem beatitudinẽ, & quicquid demum affectum noſtrum excitat in Deum: vel ſi ex intentione nõ auertat cogitationẽ ab aliquo horũ: in qua re non oportet pios anxios eſſe. Qui bona fide ſe tanquã miniſtros eccleſiæ gerentes, ita vt nunquã intenderint oppoſitũ, officium perſoluunt, ſatisfaciunt; niſi aut nolint attenti eſſe, aut inter perſoluẽdũ ita irreuerẽter ſe gerant, aut alijs rebus, vel externis occupationibus intenti ſint, vt manifeſta & aperta ſit negligentia.

*De omiſſione horarũ canonicarum.*

Nunc ad quod officium teneãtur ſub peccato mortali, & quibus horis perſoluere debeant, & quæ ſint iuſtæ cauſæ ſine peccato omittendi officium: facilè eſt intelligere, præcipuè ſimpliciter & ſyncerè incedentibus. In his enim ſatis eſt, non doloſè vel fraudulẽter hęc omittere, ſed velle ſatisfacere pro more bonorum & piorũ miniſtrorũ eccleſiæ ſuæ, &

inter quos viuunt.

Nec illud opus eſt ãxiè tractare, an omittens officiũ diuinũ, teneatur idcirco ad reſtitutionem fructuum, quos percipit ex eccleſia. Hæc magis videtur eſſe poena, quæ iuſtè à prælatis imponi poteſt, quàm vt quis ad eã per ſe teneatur.

*Lectio horarũ non excuſat clericos ab alijs exercitijs pietatis.*

Illud verò hoc loco putamus attentius conſiderandũ, an perſoluto hoc officio diuino, ita ſatisfaciãt miniſtri eccleſiæ illi obligationi, qua tenẽtur ad orationem, & alia pietatis exercitia, vt tuta conſcientia poſsint reliquũ temporis alijs impendere. Vbi opus eſt certè prudenti conſideratione, vt in neutrã partẽ declinemus. Illud conſtat: poſſe impleri præcepta eccleſię, etiam quę ſunt determinationes iuris diuini, nec tamen impleri ipſum ius diuinũ: ſicut patet in illo qui ſemel tantũ & cibis permiſsis veſcitur in die ieiunij, tamen vſque ad crapulam vel ebrietatẽ. Itaque ne putẽt

miniſtri eccleſię, verbali illa pro-
nunciatione pſalmorum & pre-
cum ſatisfeciſſe ſe obligationi il-
li, qua ex iure diuino pro ſuis &
populi neceſsitatibus orare tenē
tur. Certè vita miniſtrorum ec-
cleſiæ dignè tranſigi non poteſt,
ſine aſsiduitate ſpiritualium me-
ditationū. Hieron. in epiſtola illa
ita dicit: Diuinas ſcripturas ſępiꝰ
lege: imò nunquam de manibus
tuis ſacra lectio deponatur. Hæc
ille dicit, vt diſcat miniſter quod
docturus ſit. Paulus quoque ipſe,
qui tam frequenter diſcipulos ad
lectionem & meditationem ex-
hortatur: Attende (inquit Timo
th.) lectioni, & exhortationi, &
doctrinæ. Hæc meditare, in his
eſto: attende tibi & doctrinæ, in-
ſta in illis. Hoc enim faciens, te-
ipſum saluū facies, & eos qui te
audiunt. Itaque non ad alios tā-
tum docendos, ſed ad ſe etiam ſal
uandū putat hæc neceſſaria. Vn-
de eodem loco dicit: Exerce teip
ſū ad pietatē; quo exercitio & le-

*1. Timo th. 4.*

ctionẽ & meditationem, & ora-
tionem etiam complexus eſt.
Nec tamẽ poſſumus certi aliquid
hîc præſcribere: ſatis ſit hoc ad-
monuiſſe, & nunc in fine, quod à
principio diximus, repetere. Co-
gitent ſeriò miniſtri eccleſiæ, ſe
propter ſacros ordines ad maio-
rem vitæ ſanctimoniam, & pu-
ritatem animæ, quod ad interio-
ra & eſſentialia attinet, aſtrictos
eſſe, quàm ſint monachi ex pro-
feſſione ſua. Non putent ſibi vi-
tam trãſigendam (ſi dignè, & vt
decet miniſtros Chriſti, viuere
volũt) in iocis, ludis, & otio. Hęc
omnibus nocent & prohibetur:
niſi modeſtè (vt ethnici etiã ſen-
ſerunt) tanquam condimentum
quoddã & ſal aliarum virtutum
operibus adhibeantur. Nos pu-
tamus non tutò viuere miniſtrũ
eccleſiæ, niſi quatenus illi vacat
per alia ſibi, & his cum quibus ha
bitat, neceſſaria opera, lectioni
ſcripturę ſacrę pro captu ingenij
ſui & pro morum inſtructione,

aut aliorum ad pietatem inſtru-
entium librorum aſsiduè vacet:
ita vt (ſicut Paulus ait) in illis ſit
& permaneat: reliqua oĩa quaſi
prętereat aut percurrat. Lectioni
huic coniuncta eſſe debet oratio
& meditatio. Hæc ſunt quę vitia
carnis comprimũt, mundana de-
ſideria mitigant, animũ formant
ad diuina: ad quæ ritè tractãda &
peragenda putamus adoleſcenti-
bus & minus exercitatis, inſtru-
ctione opus eſſe, & conuerſatio-
ne virorum ſpiritualium. Hęc
itaque ad meliora exhortantes
proponimus, relinquentes quẽli
bet ſuo ſenſui. Atque ita ſatis
ſit dictum de his, ad quæ mi
niſtri ratione ſacro-
rum ordinũ
obligã-
tur.

LECTIO

# Lect. Quinta.

## DE HIS, AD QVÆ EX *officio curæ animarum tenentur ſacerdotes.*

DIXIMVS hucuſque, qualem vitam requirāt ſacri ordines oēs, quanquam omnia magis ſacerdotibus conueniant: reſtat vt dicamus, ad quid teneantur ex paſtoris officio & ſuſcepta animarum cura, non quidem ſupremi illi epiſcopi, ſed inferiores ſacerdotes, quos hîc conamur inſtituere.

Conſtat enim officium paſtorale, & animarum curam multa exigere vltra ea, ad quæ ordinū ſacrorū ſanctitas, adſtringit. Ex iſtis enim tenētur miniſtri, vt erga ſe, & erga Deū rectè ſint ordinati, & benè ſe habeant: ex officio aūt paſtorali, ad ea curanda quæ proximorū ſunt, tenentur.

Ex ſcriptura itaque conſtat, multa paſtoribus præcipi. Vt verò de inferioribus ſacerdotibus dicamus, illud debet eſſe principium, quod initio huius tractatꝰ, & eorum quæ proximè de moribus tradidimus, dictum eſt: ſacerdotes videlicet nō ſimpliciter habere curam animarum: Hoc enim diximus eſſe epiſcoporum duntaxat, qui ſimpliciter paſtores ſunt & epiſcopi eccleſiarum, ac apoſtolorum ſucceſſores. Sacerdotes verò inferiores, ſicut ſecundum ordinem ſuum ſub ipſis ſunt, & in eorum auxilium, prout ipſi diſponunt, aſſumpti: ita in ſuſcepta animarum cura ſub Epiſcopis locū tenent; & prout ab ipſis ſuſceperunt, tenentur curam animarum gerere.

Itáque primò omniū opus eſt vt gradum ſuum agnoſcant, & illum diligenter teneant: vnde etiam ſibi multum intelligant detractum oneris in cura animarū. Nec enim tenentur aut ſcire, aut

exequi omnia quę ad animarum ſalutem neceſſaria ſunt: ſed ea ſolùm, quæ hic gradus ipſorum requirit. Quæ verò iſta ſint vt agnoſcatur, aduertendum ſecundò eſt, quòd cura animarum inter epiſcopũ & parochum partita eſt, ſicut effectus inter cauſã primam ac ſupremam, & proximam. Sũt epiſcopi primi & pręcipui totius dięceſis paſtores: Parochi verò proximi & immediati ipſis ouibus. Sicut itaque ſecunda cauſa nihil agere poteſt, quod non magis fiat à prima: ſed prima quædam operatur ſine ſecunda: ita in hoc negotio, totũ quod ad curã animarũ pertinet, epiſcopi eſt. Nihil ſine eius authoritate, atq; ſine eius (vt ita dicamus) influxu, ſicut prima cauſa influit in oẽs effectus, parochi operari poſſunt: epiſcopi verò multa per ſeipſos ſine parochis poſſunt. Sũt itaq; parochi proximi quidẽ, & ita propinqui populo ac ſingulis animabus, vt nihil

*Comparatio epiſcopi & parochi in animarum cura.*

me-

mediũ ſit inter populũ ac parochum. Quare hui⁹ eſt, quæ ſaluti populi neceſſaria ſunt, præſtare, quantũ ipſi ab epiſcopo traditũ eſt: vt videlicet ea ſciat, quæ epiſcopus ei tradiderit: ea faciat, quæ iuſſerit: pro ſuo captu & viribus. Quę verò maiora ſũt, & excedũt illa quę epiſcop⁹ tradidit, aut quę ipſe ꝑ ſe nõ poteſt, ſatis eſt vt ad epiſcopũ referat: ita videlicet, vt nihil deſit eorũ quę animabus neceſſaria ſunt, faciẽte parocho illa ad quę doctrina & virtus eius ſufficit, & maiora referẽte ad epiſcopũ, & epiſcopo illa ſupplẽte. Hic eſt pulcherrimus ordo ſacri illius principat⁹ & eccleſiaſticę hierarchiæ, quã Dionyſius Areopagita à ſimilitudine ordinatiſſ. ãgelicæ hierarchiæ contẽplat⁹ eſt eſſe deriuatã. Atq; ideo ille ſacerdotib⁹ tribuit illũinare & docere tantũ minora, et mediocribus cõueniẽtia: epiſcopis verò perficere & cõſummare inſtructos à ſacerdotibus. Hoc rurſum, ſi bene con-

ſidere

ſideretur, oſtendit, quanta debeat eſſe coniunctio parochorum cũ Epiſcopis, quàm ſubordinati ac ſubiecti illis eſſe debeant, & quã-tam neceſsitudinem ac arctam familiaritatem inter eos eſſe oporteat. Certè epiſcopis nulli debent eſſe propinquiores quàm parochi: nimirum ſicut paſtores deputati ſingulis gregibus paſcendis, paſtori illi qui omnem curam gerit. Nec eſt certè quicquam, quod magis excuſet parochum à præſtando aliquid ouibus, quã quòd id nõ acceperit ab epiſcopo: neq; quod hunc magis accuſet, quàm quòd nõ tradiderit diligenter parochis quod illis cõuenit, quòd illos non agnouerit, & apud ſe frequentes habuerit, & intellexerit ſtatum ouiũ, & conſuluerit illis quantum opus eſt.

*Notent Epiſcopi.*

Hoc itaq; cõſtituto, vt quæ ſint propria parochi dicamus: ad quę ſcilicet ſit obligatus: tanquã primum omnium cõſtituatur, reſidẽtia in propria parochia. Hoc. n. pri-

*Ante omnia debet Paroch⁹ reſidere in ſua parochia.*

primum omnium eſt, ſine quo nihil paſtoralis officij poteſt fieri. Chriſtus.n.mercenarij, & non veri paſtoris eſſe dicit: dimittere oues, & fugere: Quia mercenari⁹ (ait) eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Quanquam igitur de reſidentia vel epiſcoporum vel parochorũ voluerint aliqui dubitare: tamen ſyncerè et coram Deo conſideranti, ac ſecundum lumen naturale rationis hoc expendenti, manifeſta eſt b. Thom. ſententia, doctrina atque exemplis patrum confirmata, quam 2.2. aſſerit: præſentiam ſcilicet paſtoris neceſſariam eſſe propter actus ipſos paſtorales: atque ita ad eam teneri paſtorem, vt niſi propter vtilitatem Eccleſię & ouium, abeſſe non debeat. Abeſt verò propter vtilitatem, cùm vel ſe conſeruat ſaluti ouium: cùm videlicet eius tantum perſona quęritur à perſecutoribus, aut cùm recedit, vt apud ſuperiores, ſiue alios, bonum ouium curet. Ad tempus

*Ioan. 10.*

*quæſ. 85. art. 5.*

ita-

itaque ob aliquam harum cauſarum licita eſt abſentia paſtorum, Perpetuam autem, vel ad longum tempus, ſine vera vtilitate Eccleſiæ, certum eſt non carere graui peccato. Non eſt opus magis ſpecialia hic tradere, quæ canoniſtæ ex iuribus particularibus collegerunt; quæ legi poſſunt apud Sylueſtrum in verbo, Reſidentia. Illud nunc ſufficere debet, quòd per præſentiam vel abſentiam paſtor ſemper quærere debet vtilitatẽ ouium: quod cũ agit, etiam corpore abſens pręſens eſt: & cùm hoc omittit, etiam corpore pręſens abſens eſt. Quare illud: Dimittit oues & fugit: ad negligẽtiam & obliuionem, qua vtilitas ouium non quęritur nec curatur, refertur à doctoribus. Vnde nec per alium paſtoris officium rectè exerceri poteſt. Nec eſt opus hoc loco credere, abſentes paſtores ad reſtituendos fructus eſſe obligatos: ſed ſatis eſt agnoſcere, quantum ſit peccatũ: cõtra quod

*Notent hæc quibꝰ eſt cõmiſſa cura animarum.*

terri

terribiliter per Zachariam clama tur: Væ paſtor,& idolum dere- linquens gregem. Debet itaque paſtor reſidere & præſens adeſſe regulariter,vt reliqua,quæ ſui of ficij ſunt,exequatur:de quibus iã dicendum. *Zachariæ 11*

Multa profectò ad officiũ pa- ſtorũ pertinent:& ea ex vero pa ſtorum exẽplari Chriſto, qui in- quit: Ego ſum paſtor bonus:& ex ſacra primùm ſcriptura petẽ- da:deinde ex antiquæ eccleſiæ ac patrum canonibus & exẽplis:& demũ ex experientia vigilãtiũ ac diligentiũ paſtorũ.Nam,vt verũ dicamus,ſpecialia iſta & ſingula- ria aliena ſunt ab arte, nec poſſũt cũcta plenè doceri ab aliquo. Sed qui huic muneri ſatiſfacere cupi- unt,primò humili,& aſsidua ora tione à Deo impetrare conabun- tur,vt ſuggerat illis quod ſaluti o uiũ conducit. Deinde amor ipſe ouiũ,& deſiderium ſalutis earũ,et quotidiana experientia plurima ſubminiſtrabunt. Demum legẽdi *Vnde petere debeat paſtor inſtructionem. Ioan.10.*

ſunt etiam qui de his ſcripti ſunt libri,& cõſulendi peritiores .His n.rationibus putamus poſſe eum qui cupit verum agere paſtorem, ſufficienter inſtrui.Quę verò nos aduertere potuimꝰ,tribꝰ capitibꝰ comprehenduntur . Primum eſt de cognitione ouium:quæ quam exacta requiratur à paſtore, verbum illud Chriſti oſtendit:Agnoſco oues meas.Et rurſum , quod de bono paſtore ait. Vocat eas nominatim.De quo etiam illud Prouerb. dictum eſt : Diligenter cognoſce vultum pecoris tui. Et conſtat hoc eſſe principium omnium actuum paſtoris : Nam circa illas oues,quas non cognoſcit,nihil poteſt efficere . Includit verò hæc cognitio non pauca:de quibus poſtea.Reliqua duo capita ſunt ,cuſtodia ouium à lupis, & malis,& periculis omnibus:& paſtus ipſe,quod eſt,ea exhibere & præſtare, quæ conducibilia ſunt ouium ſaluti.De primo conqueritur Dominus per Ezechielem

*Quæ ad officium paſtoris pertinēt ad tria capit. reuocātur*

*Iohā. 10*

*Pro.27.*

pro-

propheta terribiliter: ꝙ videlicet nõ ſit, q cuſtodiat gregẽ, atq; ideo diſcerpatur et diſpergatur, erroribus videlicet & peccatis, nõ exiſtente aliquo qui defendat. Conquæritur deinde eodem loco de paſtoribus, qui ſeipſos, & non gregem paſcunt: hoc eſt, ſuam, non gregis quærunt vtilitatem. His itaque tribus cognitione ſcilicet ouium, cuſtodia, & paſtu (quę ſũt præſeruatio à malis, & exhibitio vtilium ſaluti ouium) videm⁹ cũcta paſtoris opera includi, de quibus nonnihil in ſpeciali dicendũ eſt.

# Lect. Sexta

## DE COGNITIONE ET *cura ouium in ſpeciali.*

*Paſtoris eſt ſingulas oues cognoſcere quãtum fieri poteſt.*

COgnitio ouium, quæ principium reliquorũ actuũ paſtoris eſt, multa requirit, & ſine magna

gnavigilantia haberi non poteſt. Primo igitur opus eſt numerum & nomina ipſa, ac perſonas, quarum paſtor eſt, & quarũ rationẽ Deo reddere debet, quantum fieri poteſt, ipſi cognita eſt. Vocat (inquit Chriſtus) eas nominatim. Qui igitur diligenter conſiderant, putant primò omnium debere parochum in libro, quem apud ſe habeat, deſcriptos habere omnes ſibi ſubditos, ſecundum nómina, ſtatum & conditionem ſingulorum: id quod vel per domos, vel per familias, vel per vicos, aut ſtatus & officia, ſiue quacunque alia ratione, prout melius iudicabitur, facere poterit, vt videlicet & morientium, & naſcentium, et aliunde accedentium rationẽ habeat, atq; ita, quãtũ vel augeatur, vel minuatur grex ipſi cõmiſſus, intelligat. Ad quã diligentiam cõſcribẽdi catalogum multa alia pertinent. Nam in eccleſia expedit omnino ſcribi numerũ & nomina baptizatorũ oĩm, & ipſos

ſu-

ſuſcipientium: ſimiliter confirma torum, & eos tenentium; quod etiam in matrimonio deinde neceſſarium eſt, vt ex ſupradictis patet. Et ad perſpicuam notitiam omniū habendam, ſingulis etiam annis eorum qui (in quadrageſima ſcilicet) ad confeſsionē & ſacram cōmunionē accedunt, et eorum qui id non faciunt, numerꝰ & nomina cognoſcenda ſunt.

Igitur in his omnibus, in quibus eſt prima paſtorum cura conſtituta vigilantiſsimos eſſe oportet, tanquam in ea re, cuius primò requirenda eſt ratio. Nec opus eſt hoc aliter probari, quàm vt teſtimonio conſcientiæ cuiuſque reliquatur. Sunt quibus videtur hoc nimis durū maximè ī latiſsima aliqua & magna parochia. Nobis certè videtur id tantò magis neceſſariū, quantò latior fuerit: ſaltem vt id faciat paſtor quod cognoſcēdos ſubditos ſuos & ante oculos habendos, bona fide putat ſibi ſufficere. Ad hanc cognitionē

per

pertinet quicquid per diligentẽ
conſiderationem externæ con-
uerſationis ſubditorum intelligi
poteſt de moribus,ingenio,& ſta
tu:tam in his quę ad corpus & cõ
ditionem corporis,quàm quæ ad
animam pertinent.Primò igitur
peccata publica & peccatores pu
blicos oportet Parocho eſſe co-
gnitos & numeratos . Poſt hæc,
ſcandala & occaſiões publicas pec
catorum: ex conſuetudine videli
cet compotationum aut conuiui
orum,aut aleæ , aut chorearum,
aut tabernarum,aut inhoneſtorũ
locorum,perſpectas habere opus
eſt,Cognoſcendi ſunt etiam excõ
municati,deinde mores & inge-
nia cuiuslibet non ſunt ignoran-
da,ſicut diximus:quę colligi poſ-
ſunt ex manifeſta & publica con
uerſatione:qui nimirum deuoti⁹
& frequentius ad eccleſiam con-
ueniant,qui negligentius aut tar
dius , qui verecundi , qui duri &
præfracti, qui inſolẽtes & ſuper-
bi,qui infirmi & abiecti,& deniq;

multa huiuſmodi neſſe eſt parochum cognoſcere , vt intelligat contra quæ vitia ſibi ſit vigilandum,& quid potiſsimum docendum iuxta captum , & neceſſitatē ſuorum. Sciat etiam qui dociles & audiendi ac retinendi pietatis dogmata auidi,qui hebetiores & obtuſi ſint.Deniq; circa ipſa etiā priuata peccata , vel occaſiones, diligentē eū eſſe oportet, & talē ſe exhibere exemplo & admonitionibus,vt ad illum libenter referant ſubditi quicquid huiuſmodi eſt,vt ipſe prudenter, & cum vera charitate remedia adhibeat. Neq; illa quæ ad corpora ſubditorum pertinent,ſunt ei ignoranda:qui videlicet ſint pauperes, qui orphani,quæ viduæ,qui deſtituti auxilio,qui inimicitias foueant(quanquam etiam hoc ad animam pertineat)qui patiantur calumniam aut iniquitatem ab alijs.

*De parochi diligētia circa extraneos.*

Circa extraneos & aliunde accedentes multa eſt opus diligentia,

tia, vt cuius fidei, aut cuiuſmodi morum ſint, agnoſcatur, An qui cũ mulieribus accedunt, coniugati ſint, nec ne: an alibi īfames aut excõmunicati, &c. Quare meritò curandum eſſet, nec ſine teſtimonio epiſcoporum aut parochorũ huiuſmodi admitterentur. Nam & peregrinantes ipſi vel religionis, vel alia cauſa, non aliter recipiendi eſſent. Patet itaque ex his omnibus, quàm latè pateat hæc cognitio ouium, & quàm multa includat. Nec tamen omnia hic explicata ſunt: occurrunt paſsim plura.

*Paſtoris eſt tollere ac auertere ſcandala & pericula &c.*

Secundum verò requiſitum ad officium paſtorum (quod diximus eſſe cuſtodiam & præſeruationem à malis ac periculis) quã multa cõprehẽdat, intelliget, qui prius cognouerit, quot & quanta ſint mala ac pericula. Ad eam igitur primò pertinet publicorũ peccatorum & ſcandalorum publica reprehẽſio: & efficax per ſe & per ſuperiores, quantum in ipſo

ſo eſt, emendatio atque extirpatio ſcandalorum. Et primò, eorum quæ circa doctrinam inueniuntur. Vbi innumera ſunt. Cùm ſcilicet falſi doctores inſurgunt: et libri contrariã doctrinam fidei ac bonis moribus continentes, ſparguntur in vulgus. Deniqꝫ quicqd mores populi, & iuuẽtutis pręcipuè corrumpere poteſt, diligẽter eſt tollendum & aduertendũ per parochos, cùm poſſunt: aut referendum ad ſuperiorem, cũ nõ poſſunt. Hic vigilandum de inſtitutione adoleſcẽtiæ in literis & moribus: vt magiſtri non ſani, non probatis morib⁹, reijciãtur: libri item inhoneſti, quibus in primis corrumpitur adoleſcentia ſumma diligẽtia extirpandi ſunt. Deinde ad maiores aſcendendũ, & auferendæ inueteratæ cõſuetudines peccatorum: & illæ, quæ coniunctum habent periculum peccati. Vbi de ratione conueniẽdi in tabernis, de compotationibus, choreis & conuiuijs publicis nu-

*Cura repurgandi ſcolas & tollẽdi malas conſuetudines ad paſtorem pertinet.*

nuptiarum,& ſimilibus: de conſuetudine veſtium, & congreſſu ac familiaritate virorum & mulierum, multa cauere & emendare debet paſtorũ diligentia, idq; aſsiduis & ſerijs admonitionibus & frequenter recurrendo ad ſuperiores. Vbi conſiderandum eſt illud prophetæ: Si ſpeculator viderit gladium venientem, & nõ inſonuerit buccina, & popul⁹ ſe nõ cuſtoderit, veneritque gladius, & tulerit ex eis animã, ille quidẽ in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram. Vbi ſatis oſtenditur, quãta oratione, & quàm ſeria conuerſione mentis ad Deũ, ac ſcripturæ ſacræ attenta lectione, ad hæc ritè præſtãda opus ſit. Et tu (inquit) fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me. In auertendis itaque malis & cauendis ſcandalis populi, indefeſſa eſſe debet paſtorum vigilantia. O-

Eze. 33.

pus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

pus eſt enim vt in hac cauſa ſe tãquam murum opponat pro domo Iſrael, etiam apud potentes et ſublimes ſoeculi. Qua in re habemus exempla vigilantium & prudentiũ paſtorũ: qui cùm hoc nõ poſſent præſtare, vt ſubditos ſuos auerterent à peccatis , tentatis omnibus, tandem maluerunt cedere, quàm vires ſine fructu eneruare. Multa hic opus eſt prudentia & circumſpectione his qui impatientius ſuſtinẽt mala.

Videndum ne ſibi tantum conſulant. Et, ſi inter malos non deſint multi, quibus conſulendum ſit, qui alioquin periclitabuntur: non eſt æquum vt deſerantur.

Deniq; non eſt ſuſcepta animarũ cura: niſi cũ epiſcopi conſenſu, neque eſt cũ detrimento Eccleſiæ deſerenda: quanquam parochis (qui, vt diximus, nõ plenè curã animarũ habẽt) permittant iura, religionis ingreſſum.

Vltimum deniq; caput eorum quæ ad paſtoris officiũ requirun

*Quę pertineāt ad paſtū animarū*

tur,quod ad paſcendas oues pertinet,duas continet partes. Prima quidem eſt,quæ pertinet ad paſcēdas & curandas animas. Secunda verò, quæ ad curanda corpora:nam hæc etiam ex charitate chriſtiana diligenda ſunt, & ideo non ſunt aliena à paſtorum cura.Ex his partibus cognoſci poteſt,quàm multa etiam hoc caput complectatur. Animæ igitur paſtus in doctrina,in ſacramētorum exhibitione, & exemplo vitę,magna ex parte conſtitutus eſſe videtur.Quod ergo ad doctrinā attinet in parocho,neceſſe eſt vt,ſi non vberior & plenior,certè frequentior ſit: vt videlicet & publicè,et priuatim:omnes ſimul & vnūquēq; ſeorſim de neceſſarijs doceat: & diligenter, cognita neceſſitate, inquirat & diſcat ea de quibus opus eſt admonere, & admonendi rationem: & quod didicerit, ſedulo ac magno affectu exequatur.Proponatur itaq; hic ob oculos in exemplum Apoſtolus

lus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lus Paulus, cuius verba, quæ ex bono conſcientię teſtimonio, atteſtāte etiam vita, loquebatur Epheſiis, quia digna ſunt attenta conſideratione, & efficacia ad admonendum, hic proponimus. Vocauit itaq; (vt d. Lucas ſcribit) maiores natu eccleſiæ Epheſinæ, & ita eos alloquitur: Vos ſcitis à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per oē tempus fuerim, ſeruiens Domino cū omni humilitate & lachrymis, & tentationibus quæ mihi acciderunt ex inſidijs Iudæorum, quomodo nihil ſubtraxerim vobis vtilium, quò minus annunciarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos. Et tandem ait: Vigilate, in memoria retinētes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſaui cum lachrymis monere vnumquemq; veſtrum. Meritò igitur dicit illis: Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omniū. Non, n, ſubterfugi, quo minus Act. 20.

annunciarem oẽ conſiliũ Dei vobis. Aduertant hunc locum paſtores: & quiſque pro gradu ſuo ſciat ſe tunc mundum eſſe à ſanguine animarum, quando veraciter dicere poterit, quod Paulus dixit.

*De doctrina populi.*

Igitur ad curam doctrinæ pertinet, vt omnes pro diuerſitate ſtatus & conditionis, & ingenij, & occurrẽtium rerum neceſsitate doctrinam habeant. In doctrina itaq; primus eſt catechiſmus, quo prima rudimẽta fidei & pietatis chriſtianæ pueris ac rudibus diligenter explicantur. Docet antiquæ eccleſiæ conſuetudo in his tradendis & exigendis ab adultis & ante baptiſmum, quàm ſit hæc doctrina neceſſaria. Et certè illa prophetæ lamentatio: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis: meritò locũ habet, cùm hic catechiſmus omittitur in eccleſia.

Inſtruendi ſunt igitur & parentes, & domini, & mariti, de cura

ra inferiorum & ſubditorũ circa hæc præcipuè, vt catholicam doctrinam curent mente & opere tenere. Filij, ſerui, & inferiores omnes admonendi ſunt, ad obedientiam maioribus prȩſtandam. Coniugati, vel volentes contrahere, docendi ſunt de ſacramento matrimonij, & legittimo vſu eius. Itaq; opus eſt, vt nulli deſit neceſſaria doctrina: ſiue diues ſit, ſiue pauper, ſiue infirmus ſiue ſan⁹, ſiue triſtis & deſolat⁹, ſiue in proſperitate ſeu in lȩtitia vitam agat. *cap. 34.* Omnes enim noti eſſe debent parocho, & omnes priuatim ac publicè inſtruẽdi. Nam ad hoc pertinet, quod per Ezechielem dominus de diuerſitate remediorũ, adhibendorum ouibus dicit, dum primò ſic quæritur: Quod infirmum erat non cõſolidaſtis, quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum, non alligaſtis, quod abiectum nõ reduxiſtis, quod perierat, non quæſiſtis. Et deinde promittit ſe hæc omnia facturũ per

bonos paſtores. Vbi nihil aliud
hæc omnia ſignificant, quàm di-
uerſas eſſe neceſsitates animarũ
ac infirmitates, & diuerſa eis ad-
hibenda eſſe remedia. Hæc quidẽ
debet paſtor habere parata, & poſ
ſunt ad manum haberi multa ex
tertia parte paſtoralis Gregorij:
in qua ille, vt paſtor diligens, col
legit omnes ferè Chriſtiani popu
li ſecundum varia ingenia & ſta
tus diuerſitates: & quid ſingulis
proponendum ſit, docet. Vbi
etiam aperit viam, vt ex ſcriptu-
ra multa alia mediocri diligentia
colligi poſſint. Poſt illa quæ ad di
uerſos pertinent, etiam illa quæ
communia ſunt omnibus, & ne-
ceſſaria, non ſunt omittenda: imò
& prius, & frequentius quàm a-
lia tradenda. De timore videli-
cet Dei, & cuſtodia mandatorum
eius: de frequentandis ſacramen-
tis, pœnitentiæ maximè & eucha
riſtiæ: de operibus pietatis, & elee
moſynis: de modeſtia veſtium, &
cæterorum ſumptuum. Ita enim
in

in his omnibus modum ſeruare debẽt chriſtiani, vt ſuperſit quod in eleemoſynas indigẽtiũ & pia opera expendant. Cõtra irã quoque, cõtumelias, detractiones, & reliqua vitia laborandũ eſt: & cõtra illa præcipuè, in quæ procliuiores nouit ſuos ſubditos. Inter quæ etiam præcipuè cõtra frequẽtiam iurandi clamandum eſt, vt Chryſ. in homilijs: quas certè multũ profuerit Parochis eſſe cognitas. Sũt enim plenæ doctrina neceſſaria populo, & paſtorali ſolicitudine. Docere etiã debet de orando frequenter, & conueniendo in eccleſiam ad doctrinam, ſacrificiũ & orationes: de quibus inſtruẽdi ſunt, quomodo circa hæc ſe habere debeant. Si horũ aliquid defuerit populo, valde ſunt paſtores accuſandi. Cæterùm multa quoq; alia ad hæc pertinent, quæ ipſa docebit experientia.

*De ſacramẽtorũ adminiſtratione*

Sacramentorum etiam participatio, quæ ad paſtum pertinet ouium, diligenter eſt obſeruanda à

Parocho:ne videlicet vllus ſine
baptiſmo diſcedat per eius negli-
gentiam. Quare & obſtetrices &
omnes docere debet, quando ba-
ptiſare debeant, & qua intentio-
ne, & quibus verbis : & ipſe dili-
genter accurrere, cùm ad id voca-
tur. Ipſius eſt etiam curare, ne cõ
feſsio aut communio alicui vel ĩ-
digenti , vel petenti deſit. Quare
vt hoc fiat, eius eſt impedimenta
omnia auferre, & facilè alijs con-
fitendi ſacultatem concedere, aut
aduocare ipſe alios, quibus quan-
doq; multi libentius, apertius &
plenius confiterentur: modò illi
tales ſint, quibus credi poſsit in-
ſtructio & medela animarum: &
hoc maximè circa infirmos cu-
rabit, ne deſint eis hæc ſacramen
ta ſimul & extrema vnctio: & vt
dignè præparati illa ſuſcipiant.
Ob hoc igitur ſunt frequentius
viſitandi, conſolandi, inſtruendi
de omnibus neceſſarijs : & adiu-
uandi etiam ad teſtamenta condẽ
da, & ad facienda cætera quæ ad

ſalutem neceſſaria ſunt & expedientia.

*Vita paſtoris ſit exemplo alijs.*

Exemplum etiam vitæ maximè curandum paſtori. Vt videlicet pietas, religio, honeſtas, moderatio omniũ, & cętera ad quę alios hortatur, in ipſo ſplendeant. Vitanda quoq; illi ſuſpecta oĩa loca, negotia, familiaritates &c. frequentanda verò ſunt omnia illis contraria, & in primis eccleſia, in qua aſsiduus eſſe debet. Eſt in nonnullis locis ſancta inſtitutio, vt Parochi domum habeant coniunctam eccleſiæ: quod vbi non eſt, ſit ſaltem propinqua.

*Paſtoris etiam eſt corporali neceſsitati ſubditorum ſuccurrere.*

Paſtus etiam corporum, ſubuẽtio videlicet neceſsitatum omnium quæ ad corpus pertinent, non dubium eſt quin curandꝰ ſit à paſtoribus, & per eos quantum fieri poteſt, ſubueniendum omnibus, ex proprijs quidem cùm poſſunt. Nam (vt dicit Gregoriꝰ) qui non dat ouibus ſubſtantiam ſuam, quomodo pro illis dabit animam ſuam? Et cùm ex proprijs

non poſſunt, admonere debẽt populum ac ſubditos, & ſuperiores: ita videlicet, ne virginibus, pauperibus, orphanis, viduis, & infirmis ſit ipſa neceſſitas occaſio alicuius peccati, aut ne in illa deficiant. Inter hæc omnia nihil putamus magis eſſe neceſſarium paſtori, quàm aſsiduã pro ſe, & pro ſuis orationem ac ſacrificij oblationem: vt ſuperius etiã diximus de omnibus miniſtris, & de parochis. Debent enim hi præcipuè memores eſſe, quòd ex officio parochi ſit, aduocatũ eſſe apud Deum: & quòd in agendo aduocatũ debeat populo, quicquid commodè pro fragilitate humana præſtare poteſt: vt, ſi non ſemper, quantũ tamen patitur infirmitas huius vitæ, ſæpe celebret, oretq́; pro populo, etiam ſi per alios hoc poſsit præſtare. Quare non eſt, cur ſpecialia ſtipẽdia ob ſpecialia ſacrificia, quæ à morientibus vel viuentibus ſolui ſolent, ille ſuſcipiat. Nam quod in tali cauſa præ-

*Paſtris eſt pro ſe & populo orare*

ſta-

ſtare poteſt,ex officio vt parochus facere tenetur: quanquam quod ſecundum conſuetudinem fit bona fide,non ſit reprehendendū à priuatis.Cæterum prælatorū eſt videre,quid expediat ædificationi eccleſiæ.

*Etiam materialis templi,ornamētorū, vaſorum &c. cura ad paſtorē ptinet.*

Vltimò tandem & temporaliū bonorum eccleſiæ, & fabricę, ac munditiæ externę altarium & ornamentorum , & eorum præcipuè vaſorum,quæ ad aſſeruanda atque miniſtranda ſacramenta neceſſaria ſunt: cura pertinet ad parochum: vt ( quantum ipſi de iure et conſuetudine permittitur, & facultates eccleſiæ patiuntur) hæc munda,ornata & nitida ſint: & quod præſtare non poteſt, ad ſuperiores referat. Nec ſunt iſta contemnenda.Nam quamuis fateamur templa eſſe propter homines,& viuentium templorum primò habendam eſſe rationem: tamen per hæc conſulitur, & bene fit vtriſq; templis:Nam munditia & decor externus, excitat

etiã

etiam reuerentiam & deuotionē: & negligentia circa cultum externū ſacratiſsimæ euchariſtiæ, maxima præcipuè, & qualis in multis apparet templis, teſtis eſt negligentiæ & irreuerentiæ animæ erga Deum: nec omnino ſine culpa & quidē non minima, ac frequenter mortali atq; grauiſsima, cùm in ſacrario tanta immunditia, & fragmētorum ipſius euchariſtiæ neglectus ita inueniuntur, vt nullum non moueant. Hæc igitur de altera parte huius noſtri laboris, quem ad inſtituendos ſimpliciores parochos ſuſcepimus: atque ita de vniuerſo opere dicta ſufficiant.

FINIS.

# TRACTA-
## TVS BREVIS DOMINI
*Bonauenturæ: de modo ſe præpa-randi ad celebrandum miſſam.*

AD honorē glorioſæ ac indiuiduę trinitatis: & excellentiſſimi ſacramenti: ſcilicet corporis & ſanguinis precioſi Ieſu Chriſti deſcribā tibi formam per quam poteris leuiter manuduci ad cõtemplationem tanti myſterij: ac congruè diſponi ad eius perceptionem. Quam non raptim ſtrepitu verborum legere; ſed eius ſenſum efficaciter cordi imprimere debes ex intimo affectu ſingula queq; vel in toto, vel in parte prout ſonāt, ſolicite ruminare. Primo acce-

cedendo ad menſam coeleſtis conuiuij: iuxta apoſtolum: proba te- 1.Cor.11
ipſum & diligenter examina: cũ quanta fide & quanta charitate: in quali propoſito: & propter quid accedis. Attende igitur hęc quatuor ſingula per ſe.

## QVAM FIDEM DEBET *habere ſacerdos circa veritatem & eſſentiam huius ſanctiſsimi ſacramenti.*

IGitur primò vide quam fidem debes habere circa hoc ſacramentũ. Credere enim firmiter debes, & nullatenus dubitare ſecundum quòd docet fides catholica, quòd in hora expreſsionis verborum Chriſti, panis materialis & viſibilis adueniente mirifico & coeleſti pane velut creatori honorem deferens, locum ſuum: ſcilicet viſibilem ſpeciẽ accidentiũ pro miniſterio ac ſacramentali ſeruitio relinquit: quo deſinẽte eſſe, miro & ineffabili modo in

eodem inſtanti iſta ſub illis acci-
dentibus veraciter exiſtunt. Pri-
mò illa puriſsima Chriſti caro &
ſacrum corpus: quod fabricante
ſpirituſancto fuit tractum de vte
ro glorioſę virginis marię: appē
ſum in cruce: poſitum in ſepul-
chro: & glorificatum in coelo.
Secundò quia caro non viuit ſi-
ne ſanguine: ideo & neceſſarius
eſt ille ſanguis precioſus: qui fe-
liciter emanauit in cruce pro mū
di ſalute. Tertiò cùm non ſit ve-
rus homo abſque anima ratio-
nali: propterea eſt ibi illa anima
Chriſti glorioſa: excedēs in gra-
tia & gloria omnem virtutē, glo
riam & poteſtatem: in qua repo-
ſiti ſunt omnes theſauri diuinę ſa
pientię. Quartò quia Chriſtꝰ eſt
verꝰ deus & verꝰ homo, ideo cō-
ſequēter ibi eſt Deus in ſua maie
ſtate glorioſus. Hęc oīa quatuor
ſimul & ſingula tota ſimul ſub
ſpeciebꝰ panis & vini ꝑfectè cōti
nētur: nō minꝰ in calice q̄ in ho-
ſtia: nec minꝰ in hoſtia q̄ in calice

Nec in vno defectus ſuppletur al
terius: ſed in ambobus innuitur
myſterium de quo eſt grãdis ſer
mo. Sufficit autem credere verũ
Deum & hominem ſub vtraque
cõtineri ſpecie: cui & aſsiſtit an=
gelorum frequentia, & ſanctorũ
preſentia. Vide quàm pulchrè
Chriſtus ſub his duabus ſpeciebꝰ
tantum continetur. Primò: quia
panis & vinum optimũ ſunt nu=
trimentum totius hominis. Nam
panis nutrit corpus ſiue carnem:
& vinum tranſit in ſanguinem:
qui eſt ſedes animę. Secũdò: quia
vſus eorum communior & prin
cipalior eſt ac mundior, & minꝰ
faſtidioſus habetur: ideo puritas
refectionis ſpiritualis optimè per
iſtas ſignificatur. Tertiò: quia o=
ptimè figurant corpus & ſangui=
nẽ. Nam panis ſignificat corpus
illud trituratum, molitũ & paſ=
ſum: in paſsionibus decoctum:
& aſſum igne diuini amoris in
camino & ara crucis. Vinum ve=
rò ſignificat ſanguinem qui de

vua ſcilicet Chriſti corpore eſt in torculari crucis preſſus. Quartò: pulchrè ſigni ficat corpus Chriſti miſticũ: ſcilicet eccleſiã collectã ex multis fidelibus prędeſtinatis ad vitã: ſicut ex multis granis & racemis conficitur panis & vinũ, referendo ſingula ſingulis. Cùm ergo accedis, caue ne dubitando vacilles, & tanquam coecus manutentãs baculo arũdineo: ſcilicet argumentis naturalibus & rationibus humanis quęrendo quomodo iſta fieri poſſunt: ſicut quondam iudei litigabãt, & quidam diſcipuli abierũt retrorſum. Sed ſubijce teipſum: & captiua mentem tuam ſub iugo fidei: quã tantis teſtibus roboratã vides. Quid enim dubitationis de hoc ſacramento remanet, quod à Chriſto tam expreſſè traditum: ab apoſtolis predicatum: à ſanctis patribꝰ orthodoxis, tot centenarijs annorum frequentatum: tantiſque ceręmonijs et miraculis: prodigijs & obſeruantijs: quaſi teſti-

mo

monijs palpabilibus confirmatū
vides. Tolle hoc ſacramētum ab
eccleſia, & quid erit in mundo ni
ſi error & infidelitas: & populus
Chriſtianus quaſi grex porcorū
diſperſus, & idolatrię deditus: ſi-
cut expreſſè patet in cęteris infi-
delibus. Sed per hoc ſtat eccleſia:
roboratur fides: viget chriſtiana
Mat. 82. religio & diuinus cultus. Vnde
inquit Chriſtus: Ecce ego vobiſ-
cum ſum vſque ad conſumma-
tionem ſeculi: ſcilicet in hoc pre-
cioſo ſacramento. Poſtea etiā no
tare debes quòd ſic decuit corpꝰ
velatum nobis dari. Quid enim
valeret fides tua, ſi Chriſtꝰ in pro-
pria forma tibi viſibilis appare-
ret? Certè coactus eum adorares.
Aut quomodo carnales oculi tā-
tam gloriam ferre poſſent? Quis
verò inſipiens dicat, vt carnem
crudam vel hominis cruorem in
ſua propria forma comedere vel
bibere poſsit? Recedat ergo oīs
dubitatio: quia ſicut olim diuini-
tas in vtero virginis latuit: & fi-
lius

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

liꝰ Dei ſub humanę carnis velami ne viſibilis mūdo apparuit: ſic glorificata humanitas diuinitati cōiuncta ſub forma panis: diuinitati vnita, latet, vt nobis mortalibꝰ ſic apparere poſsit vt fides nobis proſit.

## CVM QVALI PROPOſito & diſpoſitione debet ſacerdos accedere ad tantum ſacramentum.

SEcūdò proba teipſum cū quali propoſito & diſpoſitione accedis: diſcute & reuolue cōſcientię domum: & vide ne fortè ſit intus aliqua turpitudo vel macula in mente vel in carne qua offendi poſsint oculi eius qui eſt ſanctus ſanctorum. Primò ergo rediens introrſus ad iniquitatem tuę mentis, conſidera quanta mala ab ineunte ętate commiſiſti:

quan-

quãta bona neglexiſti: quàm bre
uis vita : quàm incerta mors:
quàm lubrica & periculoſa vita
huius temporis : maxima autem
poena infernalis : ne fortè ( quod
abſit) poſt pręcedentem confeſ-
ſionem & poenitentiam aliquod
ſit in te mortale peccatum , vel
peccandi propoſitum, vnde mor
tua ſit miſera anima tua : ac per
hoc â radice Chriſti & Eccleſiæ
abſciſa: quia ille viuificus panis &
diuinus cibus non patrat influ-
xum vitę : nec in nutrimentum
abſciſis membris & mortuis(te-
Sap.1. ſte ſcriptura dicente ) In animã
maleuolam non introibit ſapiẽ
tia: nec habitabit in corpore ſub-
dito peccatis. Vnde à talibꝰ ſumi-
tur ſacramẽtum, & non res ſacra
menti Ieſu Chriſti: gratia & diui-
nitas charitatis eius . Comeditur
guſtu, ſed non reficit ſpiritum.
Vadit ad ventrem , ſed nõ intrat
mentem . Deglutitur tanquam à
brutö ſine ſui leſione: & non vi-
uificat animam , nec incorporat
eam

eam ſibi, neque vnit: ſed potius nauſea compellēte talē ipſe Chriſtus euomit velut cadauer putridum beſtijs & auibus deuorandum: cùm ſcilicet infœlicem animam tradit ſathanæ cruciandā: ſicut denique de Iuda ſcriptū eſt. Quoniam poſt bucellam introiuit in eum ſathanas. Quapropter ſi talibus ſis laqueatus: caue ne pro aliqua cauſa vel neceſsitate abſque debita cōtritione: et propoſito poenitendi: & confeſsioē præmiſſa accedere ad altare præſumas. Quia horrendum eſt incidere in manu Dei viuentis. Sed heu quot ſunt hodie ſacerdotes miſeri, & ſuæ ſalutis improuidi: qui Chriſti corpus in altare velut carnes pecudum manducant: & inuoluti ac contaminati abominationibus, de quibus dicere fas non eſt: ſceleratis manib⁹, & pollutis labijs contingere non verētur & oſculari filium Dei & mariȩ virginis. Verùm ſi hoc ſacrificium ſuſcipit deus: audeo dicere

Ioan. 13.

men

mendax eſt reputandus & ſocius peccatorum . Inſuper ( quod deterius eſt) ad tantam peruenerũt temporibus iſtis peruerſitatem & ſtultitiam quandam, vt putent infeliciſsimi ſua ſcelera & immũditias peccatorum , quę quotidie operantur, & iterare proponunt, abſque poenitentia & confeſsione per ſacram cõmunionẽ quotidie celebrantes expiare. Tales nõ ſunt ſacerdotes, ſed ſacrilegi: non Chriſtiani ſed hæretici. Profecto ſi fidem rectam haberent: aut peccare timerent: aut à celebratione ceſſarent . Secundò non ſolùm mentis, ſed & corporis eſt munditia attendẽda: ideo caue ne immundus accedas. Nec tantum dico de immũditia voluntaria quę mortalis eſt: ſed etiam de nocturna , ſiue caſuali macula que impedit celebrationem, vbi non eſt magna neceſsitas, vel iuſsio præcepti. Vbi ergo prędictę interuenerint maculę in quibus non dederis occaſionem vel cauſam per

prę-

prȩcedentē concupiſcentiam vel inordinatam crapulam: neq; ſecuta eſt notabilis mentis inquinatio per reminiſcentiam vel illuſionem fantaſmaticam carnaliū: credo quòd accedere poſsis, ſaluo meliori iudicio: maximè ſi ſingularis deuotio ratione ſolennitatis vel alterius te traheret ad celebrandum. Cuſtodire etiam debes pudicitiam manuum quātum potes: & omniū membrorū tuorum puritatem. Vnde tibi cōſulo, vt prȩ ceteris hominibus omni tempore: maximè dū miſſa celebratur, caueas ab omni tactu nō ſolū turpi & immūdo qui ſit ſine peccato, ſed etiam à quolibet indecēti & inqnatiuo, & te totū recolligas, vt nec act⁹ nec cogitatio ad aliquid aliud diſpgatur. Et inſuper curā habeas diligentē de mūdicia & nitore paramētorū altaris, & ſacrorū vaſorū: vt cū omni honore & diligentia tractetur ille q eſt angelis & archāgelis tremendus & honorandus.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## CVM QVANTA CHARI-*tate & quanto feruore debet quis accedere ad hoc ſanctiſsimum ſacramentum.*

TERTIO proba teipſum ex quanta charitate, & quali feruore accedis. Non ſolùm enim mortalia, ſed etiam venialia peccata per negligentiam & ocium multiplicata: & etiam per inconſiderationem: ac per indiſtinctiõem diſſolutę vitę & malę cõſuetudinis: licet non occidant animam, tamen plerumque reddunt hominem tepidum, grauẽ, obnubilatum & indiſpoſitum, ac ineptum ad celebrandum: niſi dicti pulueres & ſtipulę venialium per afflatum ſpiritus & flãmam charitatis ventilentur & cõſummantur: exardeſcente igne cordis ex conſideratione proprię volũtatis. Ideo caue ne nimis tepidus & inordinatus accedas: ſed vene-

ranter, circunſpectè & conſideranter: vnde Apoſtolus. Iudiciũ 1.Co.11. ſibi manducat, etc. Quod apertius inſinuat cùm ſubdit: Ideo inter vos multi imbecilles: ſupple, per fidei inconſtantiam: & infirmi, ſcilicet graui peccato: & morbo ſauciati: & dormiunt multi per torporem & deſidiam. O quàm graues anguſtię me vndique affligentes: accedere indignè, horrendum iudicium: non accedere ex notabili negligentia vel contemptu, damnabilis culpa. Nã cùm ſacerdos eſt abſque mortali peccato, & in propoſito bono, non habens legitimum impedimentum: & non ex reuerentia, ſed ex negligẽtia celebrare omittit: tunc quantum in ſe eſt priuat trinitatem laude & gloria: & angelos lætitia: peccatores venia: iuſtos ſubſidio & gratia: in purgatorio exiſtentes refrigerio: eccleſiam Chriſti ſpirituali, & ſeipſum medicinali remedio contra infirmitates & quotidiana peccata.

Quia( ſicut dicit Amb. ) quotieſcunque effunditur corpus Chriſti, in remiſsionem peccatorum effunditur. Debeo enim ſemper illũ accipere, vt mihi ſemper peccata dimittantur. Qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam. Item priuat ſe talis omnibus bonis prouenientibus ex ſacra communione: quæ ſunt peccatorum remiſsio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Chriſti, & corporis eius myſtici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, eleuatio ſpei, excitatio charitatis, augmentatio deuotionis, & communicatio angelorum. Item non cõplet ſibi iniunctum magnæ dignitatis obſequium: nec officium exercet debitæ ſeruitutis Dei. Et tamen

Hie. 48. ſcriptum eſt, Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter. Item contemnit Dei præceptum de obſeruatione huius ſacramenti. Item Chriſtus comminatur: Niſi

Niſi mãducaueritis.&c.Item ab-
ijcit viaticum ſuæ peregrinatio-
nis: exponẽs ſe periculis mortis:
quia niſi receperit alimentũ cor-
poris Chriſti, & vegetationẽ vi-
tæ, efficitur ſicut aridum mem-
brum, quod nõ tranſmittit nutri
mentum corporale ſibi. Vltimò
quantum in ſe eſt, euacuat diuinũ
cultum, & latriam creatori debi-
tam, ſicut ingratus de beneficijs
Dei: vnde Num. 9.c. Si quis mun-
dus eſt ſcilicet à mortali peccato,
& in itinere nõ fuit, ſiue aliter im
peditus: & tamen nõ facit Phaſe,
exterminabitur anima illa de po
pulo ſuo: quia ſacrificium nõ ob-
tulit dño in tempore ſuo. Ergo
quantum potes toto conatu per
exercitiũ boni operis lachryma-
rum contritionem & deuotionis
flammam expelle à te omnem
torporem & negligentiam, ne
inueniaris reſpuere tantorum
chariſmatum dona. Si autem
vis accendi ad amorem Dei,
conſidera tota mente iſta duo.

Primò illius ſummæ charitatis
incendium: quo ſumma bonitas
pro te fœtido vermiculo tam pa
tienter ſuſtinuit crucis opprobri
um. Secundò illius notabiliſsimi
corporis cibationem dulciſsimã,
ac ſanguinis potionem: ideo at-
tendas illam beatam mortem, diſ
cutiens cauſam. Cauſa autem non
fuit niſi neceſsitas noſtræ redem
ptionis. Omnis autẽ lex propter
lęſæ maieſtatis offenſam, iudicat
offendẽtem reum mortis. Huius
rei cauſa cùm peccatis exigentibꝰ
eſſemus rei mortis, pro recom-
penſatione tanti debiti: miſerans
deus humanę miſerię: & parcens
noſtrę morti prouidit & conceſ-
ſit prioribus pro hominum mor
te cedem animalium fieri: & of-
ferri ſibi ſacrificia placationis, &
hoſtias: vt quotiens quis pecca-
ret, totiens eſſet pro eo neceſſa-
rium, hoſtiam immolare: quæ o-
mnia erant figurę & vmbrę: do-
nec Chriſtus caput humani gene
ris mitteretur, viua & rationabi-

lis

lis hoſtia & abſque peccato, qui pro omnib⁹ hominibus ſeipſum pro omnium hominum amore offerret ad mortem prò noſtræ mortis redemptione. Sed quia non debuit pluries mori, ideo quod illa vna mors ſatisfecit pro omnibus peccatis factis& fiendis: ideo ſuffecit, quòd illam hoſtiam ſui corporis quondam pro nobis ſemel immolatam: moriens relin queret quotidie à nobis pro reſi duis delictorum myſticè offeren dam deo patri pro commutatione noſtræ mortis: cui ſum⁹ quotidie obnoxij per peccatum: vnde Auguſt. Iteratur quotidie hęc oblatio, licet Chriſtus ſemel paſſus ſit pro nobis: quia quotidie peccam⁹ peccatis, ſine quib⁹ mortalis infirmitas viuere nō poteſt. Et quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus pro nobis immolatur myſticè. Propter hoc quicquid agitur in miſſa, & omnes ornat⁹ & cærimonię nihil aliud repreſentāt, niſi Chriſti paſsionem.

Ob hoc ſuper omnia eſt neceſſaria in miſſa mortis Chriſti memoria. Vnde ipſe Chriſtus Matthei 26. Hoc facite in meam commemorationem. Et Apoſtolus ad Corinthios 3. Quotienſcunq; manducabitis panem, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat: ſcilicet ad iudicium. Cùm ergo accedis, dic ex toto corde, Ecce coeleſtis pater recolens illam mortem vnigeniti tui, offero tibi hoſtiã hanc, quam ipſe tibi obtulit pro mea, & totius mundi ſalute. Ecce ad altare tuæ maieſtatis tranſmitte oblationem viuam: quam tu in miſeratione multa miſiſti ad altare crucis pro nobis immolandam. Recordare illius ſacroſancti ſudoris quaſi guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Reſpice illam virgineam carnem verberibus crudeliter flagellatã: ſanguine cruentatam, ſpinis perforatam, clauis confixam, lancea vulneratam. Illa ergo pietas quæ filium

lium tuum traxit & vicit, vt in ſtatera crucis totius mundi peccata librares: ipſa te cogat pater miſereri nobis miſeris. Reſpice, obſecro, non noſtra peccata, ſed in faciem Chriſti tui. Non enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in multitudine miſerationum tuarum. Secundò ſi vis ad amorem accendi, & inflammari, conſidera illius ſacri corporis cibationem dulciſsimam: & vide quàm bonus & ſuauis eſt ſpiritus eius in nobis, quàm congrua & vtilia prouidit pater noſter coeleſtis viuificantia elementa. Quia enim rationalis creatura ad hoc facta eſt vt ſit capax & particeps bonitatis Dei, ex hac participatione viuere, & ad beatũ eſſe peruenire debet, ſine qua ad nihilum tendit ex ſe, & ad mortem ſempiternam, niſi per cibum viuificantẽ iugiter vegetetur ex participatiõe diuinæ virtutis & gloriæ, quã participationẽ

ideo comeſtionem voco: quia ſi-
cut corp⁹ animalis per cibum vi-
uificatur, caleſit & impinguatur:
ſic anima rationalis per ſpiritum
Chriſti: quo frui debet pleno af-
fectu & intellectu, nutritur, vege
tatur, inflãmatur & viuificatur.
Et ſicut angeli in patria pleno
hauſtu bibunt de perenni & vi-
uo fonte luminis, & ſatiantur ab
vbertate domus dei: ſic ſapientia
ęterna prouidit, vt rationales ani
mas hominum quas tam carè re-
demit, & per gratiam magnifica
uit, ac effecit ſimiles angelis dei:
cibaret illo pane, quo angeli nu-
triuntur: ſine quo nec illi nec iſti
viuere poſſunt: Et hoc per aliquẽ
modum cõuenientem nobis par
uulis: quia impoſsibile eſt nobis
comedere, cum iſto mortali cor-
pore illum panem vitæ in ſolidi-
tate proprię formę: ſcilicet diui-
nitatis. Ideo vt comeſtibilem no
bis panem prębere ſub forma cõ
uenientiori: ſcilicet panis & vini
corporalis, nobis dedit, propter
con

conuenientem ſimilitudinem pa nis ad panem, & refectiõis ad re-fectionem : vt ſicut angelos viuẽ tes ſpiritus cibat verbo incarna-to : ſic mortuos homines in car-ne viuentes, cibat verbo incarna to in ſacramento ſuſcepto. Vn-de dictum eſt. Panem angelorũ manducauit homo. Et ego ſum panis viuus, qui de coelo deſcẽdi. Item nota, ſicut eſt cura deo de corpore animalis cuiuſcunque, prouidere illi cibum conuenien-tem: ſic cura eſt eidem de nutri-mẽto ſui corporis myſtici quod eſt eccleſia: cuius filius Dei eſt ca put: nec alium vegetari & vi-uere debet quàm à capite ſuo: ſed omnia membra ſua vnita, & ſibi inuicem coherentia in Chriſto ca pite ipſius ſpiritu & amore nu triuntur per hoc ſacramentum vnitatis & pacis. Ac per hoc ſi-cut non eſt vita corporis abſque incorporatione cibi conuenien-tis: ſic animę rationalis nõ eſt vi ta ſpiritualis ſine incorporatiõe

&inuiſceratione huius cibi ſpiritualis ſibi conuenientis. Vnde
Ioã. 6. inquit Chriſtus, Qui manducat me, viuit propter me. Hæc eſt differentia inter cibum ſpiritualem & corporalem: quia ibi cibus comeſtus tranſit in ſubſtantiam & nutrimẽtum comedentis, hic verò comedens incorporatur Chriſto, & tranſit in vnitatem & amorem ſpiritus Chriſti. Ideo fuit dictum Auguſtino: Non ego mutabor in te, ſed tu mutaberis in me, i. in mei ſimilitudinem: ſcilicet bonitatem, ſanctitatem &c. ſicut ignis carbonem in ſui ſimilitudinem conuertit.

### QVALITER DEBET SAcerdos *ſe poſt hæc diſponere & preparare: & in preparando ſe habere.*

QVartò & vltimò proba teipſum; propter quid vel ob quam cauſam accedis: & hic dirige aciem mentis tuæ ad duo

principaliter, ſcilicet ad purum affectum & deſiderium ſanctum: ſecundò ad debitam intentionem et propoſitum neceſſarium. Primò vide quid deſideres, & caue ne fortè propter auaritiam, aut timorem, aut vanam gloriam, aut conſuetudinem, vel alicuius mundanæ complacentiæ, aut temporalis fauoris cauſam accedas. Sicut multi diebus iſtis accipiunt ad ſuam perditionem, quod datur ad ſalutem. Ve, ve, domine Deus quanti hodie infœlices ad ſacros ordines, & diuina myſteria accedunt: non coeleſtem panem, ſed terrenum: non ſpiritum, ſed lucrum quærentes: non Dei honorem, ſed ſuam ambitionē: nō animarū ſalutem, ſed quæſtū pecuniarū: nō Chriſto ſeruire mūdo corde et corpore in ſuis myſterijs, ſed delitiari, ditari, ſuꝑbire, luxuriari de patrimonio Chriſti, & eleemoſ. populi: ac eccleſiaſt. dignitates ābiēdo multis litigijs & ſymonijs: potius rapiūt quàm

quàm aſſequantur: non vocati à Deo, ſed impulſi à diabolo. Tu autem homo Dei dirige vota tua & deſideria ad Deũ: & vide quibus affectionibus & deſiderijs trahi debeas ad ſacra myſteria celebranda. Primò trahat te conſciẽtia & remorſus delictorum, ſperantẽ per ſacramẽtum quaſi per hoſtiam placationis ab omni peccato purgari. Secundò tuę infirmitatis virtus atq; ſalus, vt eum quaſi medicum ad te voces, per quem ab omni infirmitate cureris. Tertiò preſſura alicuius tribulationis: vt per eum qui oĩa poteſt, ab omni aduerſitate citius libereris. Quartò deſiderium alicuius gratię ſpiritualis beneficij impetrandi: vt per eum cui pater nihil negare poteſt, obtineas. Quintò gratiarum actio pro omnib⁹ beneficijs ſpiritualib⁹ & tẽporalibus tibi, & alijs impẽſis, cũ nihil habeam⁹ deo retribuere pro oĩb⁹ quę tribuit nobis, aliud q̃ calicem ſalutaris accipere, & ſacrifi-

care hoſtiam laudis .i.Ieſum Chriſtum. Sextò charitas & compaſſio proximorum ,cùm pro ſalute viuorum & requie defunctorum nihil efficacius valeat ,quàm Chriſti ſanguis effuſus in remiſsionem peccatorum . Septimò laus Dei & ſanctorum,cùm nõ habeamus melius ,quo poſsimus Deum & ſanctos ſuos pro ſua dignitate laudare , quàm Chriſtum ſacramentaliter Deo patri immolare.

Octauò Dei amor & dilectio,vt eam ad te inuites , & per miſerationem ſpiritualis refectionis in teipſo eum delectabiliter amplectaris .Nonò ſitis & deſideriũ augendę charitatis Chriſti per augmẽtum gratiarum & chariſmatum:quia hoc ſacramentum fontem continet gratiarum & ſanctificationem:& authorem ſalutis Dominum Ieſum Chriſtum, ideo dicitur euchariſtia . i . bona gratia . Cętera verò ſacramenta fluẽta ſunt & riuuli gratiarũ quibus ſanctificamur Chriſto, ardor



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& ſuſpirium, quo totis viſceribus virtute huius exceſsiuæ charitatis, & dulciſsimæ refectionis cupias ſanctificari ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, & eripi ab omnibus periculis et tentationibus, ac inſeparabiliter vniri Chriſto ſaluatori & conſeruatori in amore ſuo. Vnde inquit Chriſtus, Ioan. 16. Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, illic ſint mecum, & ſint vnum ſicut et nos vnum ſumus. Secundò dirige mentem & debitam intentionem ac propoſitum circa ea quæ agere debes, ſcilicet Deum per latriam colere. Cultus autem latriæ ſoli Deo debetur, & eſt honor impenſus ſummo creatori ex debito ſeruitutis, quo obligamur nõ ſolùm noſtra, ſed & noſipſos impendere pro ſuo honore etiam morti, ſi expedierit, in recognitionem ſuorum beneficiorum, & ſuæ immenſæ bonitatis nobis oſtenſæ: & hoc corde contrito, & humiliato corpore, & toto af-

to affectu & habitu, geſtibus & ſignis proſternentes nos ante ſuę maieſtatis oculos, & ſacrificijs & muneribus conuenerantes, referentes ad ipſum omnem ſpẽ noſtram & deſiderium noſtrũ tanquam in finem vltimum, propter quem omnia expectantes ab eo omne meritum & retributionẽ bonorum noſtrorum & malorũ ſecundum retributionem iuſtitię ſuę ſuiq; beneplaciti. Alijs autẽ ſanctis perhibetur honor & deuotio, quæ vocatur dulia, quę nõ eſt cultus nec adoratio, ſed ſubrogatio & inuocatio, vt ſint apud Deũ aduocati pro nobis: & oĩs reuerẽtia quæ eis impẽditur, propter Deum cui ſunt cõiuncti exhibetur. Deꝰ aũt debet à nobis in immẽſũ timeri, honorari, & amari. Primò ex cõſideratiõe ſuę omnipotẽtię & iuſtitiæ qua nos iure pleniſsimo dãnare poteſt et ſaluare, eſt ſummè timédꝰ. Ex hoc enim timore oritur dolor de peccatis: pudor: ſuſpiria: lachrymæ:

me: tunſiones pectoris : ſuppli-
cationes : ieiunia : diſciplinę, pe-
regrinationes: & cętera huiuſmo
di. Secundò ex conſideratiõe ſuę
ſapiẽtiæ, & maieſtatis, ſummè eſt
honorandus. Ex hoc nãque ho-
nore oritur veneratio, genufle-
xiones, incuruationes, proſtra-
tiones, orationes, purificationes,
conſecrationes, munditia ſacro-
rum vaſorum, & paramento-
rum ornatus & decor : feſtiuita-
tes : celebritates, ſolennitates, lu-
minariũ, cantus, pſalmodiæ hym
norũ, lectionum, & huiuſmodi.
Tertiò ex conſideratione bonita
tis & clementiæ eſt infinitè amã
dus. Ex hoc autem amore oriũ-
tur gratiarũ actiões, laudes, hym
ni, benedictiões, vota ſancta, intẽ
tiones, & huiuſmodi. Itẽ intẽdere
debes, vt ex frequẽtia diuini cul-
tus nomen dei ſanctificetur in no
bis, & à nobis per ſanctitatẽ vitæ
glorificetur in mũdo, & creſcat ĩ
orbe cultꝰ & honor dei vt cogno
ſcat totus mundus nos eſſe cleri-
cos

cos vnius veri Dei, & ſaluatoris
Ieſu Chriſti. Secundò intẽdere de
bes Chriſti mortem memorare,
vt ſupra dictum eſt. Tertiò inten-
dere debes totam eccleſiam iuua
re, vt proponas Deum orare pro
papa, cardinalibus, patriarchis: &
generaliter pro omni gradu ec-
cleſiæ: pro regibus, ducibus, cæte-
riſque nobilibus, virginibus, vi-
duis, orphanis, peregrinis, capti
uis, afflictis, debilibus, infirmis. Et
pro omni populo dei: etiam pro
paganis, ſciſmaticis, hæreticis vt
cõuertantur ad Deũ verũ, & ſan-
ctæ eccleſię vnitatem. Item in ſpe
ciali orare debes pro aliquib⁹ cha
ris ſcilicet parentibus, conſangui
neis, amicis, benefactoribus, & tibi
recommiſſis, ac in tua oratiõe ſpe
rantibus. Item ſingulariſſimè pro
teipſo. Vnde ſi aliquẽ prædicto-
rum fidelium propter rancorem
vel odium excludis, vt nõ ſit par-
ticeps tanti beneficij, mortaliter
peccas, agens cum odio diuina
myſteria.

Qua-

### QVALITER SACERdos debet ſe poſt hæc diſponere & præparare: & in celebrãdo ſe habere.

Poſtquam ex ruminatione prædictorum in meditatione ſua exardeſcit ignis in corde tuo, euome & purga feces peccatorum tuorum ſpiritu contrito & humiliato, memorans quanta commiſiſti verbo & opere ac cogitatione, quanta bona omiſiſti, quæ debuiſti facere, & potuiſti: & vadens ad ſpiritualem medicum & patrem, dic peccata tua, non communi & generali confeſſione, vt quidam duri cordis facere non verentur: palliãtes folijs communium verborum in ſua generali cõfeſsione enormia peccata, & abſque verecundia & dolore taliter proferentes, vt etiã in plateis poſſent taliter abſque rubore publicè confiteri. Hæc non eſt confeſſio, ſed ſubriſio

riſio & deriſio ac deceptio: quia ſi vis ſanari, aperi vulnera tua, & de profundo corde dic clarè & apertè omnia quæ poſt præcedentem confeſſionem commiſiſti. Nedum opera, ſed cogitationes peruerſas, quarum delectatio mentem maculauit, non ſolùm mortalia, ſed venialia grauia quæ conſcientiam mordent & lædunt. Cætera verò per modum generalem breuiter & clarè exprime. Deinde peracta pœnitentia tibi iniuncta, decanta cum deuotiõe illos quinque pſalmos: Quàm dilecta, & cętera, cum ſuis verſiculis & orationibus. Dicas etiam ſi tempus ſuppetit orationẽ illã. Sũme ſacerdos, quę efficax & deuota eſt. Poſtea procedẽs ad altare recollige Chriſtũ euntẽ ad crucẽ, & fige cor tuũ ad ea quę in paſsiõe geſta ſũt. Legas clarè et diſtinctè ea q̃ legẽda ſũt, nõ multiplicãdo multiplices collecta nec alia legẽda ex deuotione vel proprio arbitrio aliter quàm à ſanctis patri-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tribus inſtitutum eſt. Cūm autē
perueneris ad ſanctum canonem,
recollige mentem, ne per diuerſa
vagetur: & appone diligentiam
magnam in ſignis & actibus, &
maiorem in verbis, maximā ve
rò in intentione. Primò propter
continentiam tam præcioſi cor-
poris. Secundò propter continē-
tiam diuinitatis immenſæ. Item
in Memēto tam pro viuis quàm
defunctis non ſit cū voce & ver
bis recommendatio, ſed tantum
mente diſcurre per quaſdam per
ſonas magis intimas, & ceteras
recollige ſub cōpendio: referens
intentionem ad oēs pro quibꝰ an
tea oraſti, ſiue orare promiſiſti.
Dū perueneris ad Qui pridie: di-
rige mentem & intentionem ad
faciendum illud, quod intellexit
Chriſtꝰ in ſua coena: & ꝙ intendit
ſancta mater eccleſia. In cōione
aūt paulisper ſubſiſte, & dic, non
lingua aut labijs: ſed corde tacito,
Dñe Ieſu Chriſte rex glorię: qui
tua ineffabili benignitate permit

tis te à me indigniſſimo peccatore tractari: præſertim vt præſumã te dominum omnium mittere in latrinam ſiue ciſternam foetidam corporis mei. Vt quid me feciſti: vt tibi hanc iniuriam execrandam facerem? Mille anni lachrymarũ & poenitentiæ non ſufficerent ad tam nobile ſacramentum dignè ſemel percipiendum, quantò magis ego miſer & indignus ſum, q omni die pecco. incorrigibilis pſeuero, & impræparatè accedo. Sed in infinitum eſt miſericordia tua maior: quã ſit mea ineffabilis miſeria. Vnde de tua pietate cõfiſus, te ſumere præſumo. Hec enim duo maximè requirũtur ad congruam perceptionem huius ſacramenti ſcilicet profunda humilitas cum adnihilatione ſui, & compaſsio mortis Chriſti. Poſt communionem, ſi nõ ſentis aliquam ſpiritualem refectionem, ſignum eſt infirmitatis ſpiritualis vel mortis. Ignem poſuiſti in ſinu, & non ſentis calorem: mel

in ore, & non ſentis dulcedinem. Si verò conſolationem ſentis aliquam, non tibi attribuas, ſed Dei bonitati, qui etiam malos & indignos conſolatur. Et dicas in corde tuo. Ad meam miſeriam deteſtandam me communicat ſuis beneficijs. Si mihi peccatori talia fecit, quid faciet, ſi vitam meam correxero? Ideo totis viribus volo me mutare, & ſemper ſibi adhærere. Hoc autem non reputes poſſe tua virtute, ſed auxilio gratiæ eius. Quod nobis præſtare dignetur ipſe Ieſus benedictus.

Amen.

EXPLICIT.

# INCIPIT VTILISSIMA QVAEDAM EPISTOLA

*eximij & deuoti doctoris Bonauenturæ, quæ eſt quaſi quædam regula & inſtitutio omnium piè & ſpiritualiter in Chriſto viuere volentium. Et diſtinguitur in 25. memorialia vt inferius patebit.*

## PROLOGVS.

IN Chriſto ſuo dilecto. E. Bonauentura de balneo regio: confrater eius in dño. Qualicunque homine veteri iam exuto, Chriſto viuere, & mori mundo. Qm̃ dilecte mi frater in domino adhuc me in præſentia tibi poſito, mihi inſtãtiſsimè ſupplicaſti, vt te ĩ poſterũ aliquib⁹ literis exhortatiõis viſitarẽ. Noui fr̃ ꝙ hęc dicẽs ardẽtes prunas cõgereris ſup̱ caput meũ.

Verũ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Veruntamen affectuoſè inſtādo: duriciȩ meȩ ſuperbiam ſupplici humilitate viciſti, intantum vt ipſe iam promitterē quod optabas: quamuis magis dignū foret hȩc me à te quidem ſuſcipere, quā me tibi huiuſmodi deſtinare.

Quia tamen inſtantia tuæ deuotionis me compellit ſtultum fieri inparte iſta, ſicut potero qualitercunque experiar quod hortaris. Non tamē tibi alia ſpiritualia ſcribens, niſi ea quȩ rudia & ſimplicia mihiipſi colligere proponebam, ex quib⁹ iam plurima, bene noſti. Sed interim alloquens dilectionem tuam chariſsime, cū nullus, ſicut experientia certa docet, perfectè Deo ſeruire poſsit, niſi diſſoluere oīo ſe procuret à mūdo: oportet, ſi ſequi volumus Dn̄m ſaluatorem, voci nos propheticȩ obedire, vt ſcilicet peccatorum colligationibus diſſolutis, diſſoluamus faſciculos deprimentes quaten⁹ à terrenis actib⁹ diſſoluti, ſequamur liberis greſsi-

bus

bus redemptorē, quia iuxta apo-
ſtoli teſtimoniū, nemo militans
Deo, debet ſe negotijs ſecularibꝰ
implicare. Nunquam ergo de ali
qua re creata: niſi inquātū noſtrū
excitet diuini amoris & dilectio-
nis affectū, cor noſtrū eſſe ſolli-
citū permittamꝰ: quia multiplex
rerū labentiū varietas plus debi-
to ruminata: nō ſolùm animū di
ſtrahendo: pacatæ mentis gratā
interrūpit quietē, verumetiā in
animo gignendo phantaſias, tur
bulētæ quaſſationis moleſtia, im
portunè impellit eandē, ſed potiꝰ
affectionis omniū terrenorū ſar-
cina oneroſa depoſita abſq; retar
dationis grauedine curramus ad
illū qui nos ſalubriter inuitat, in
quo eſt animarū opulenta refe-
ctio, & pax ſumma, quæ exupe-
rat omnē ſenſum. Venite ad me,
inquit, oēs qui laboratis & onera
ti eſtis, & ego reficiā vos. O dñe
quo indiges, quare vocas? quid ti
bi cōmune nobiſcū? O verè pieta
tis vox. Venite ad me, inquit, &
ego reficiā vos. O dei noſtri di-
gnatio admirabilis. O charitas

ineffabilis. Quis enim aliquando fecit talia, quis vnquam audiuit, quiſue cõſpexit ſimilia? Ecce inuitat inimicos, hortatur reos, allicit ingratos. Venite inquit ad me omnes: et diſcite à me. Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. O verba dulcia, verba Deifica, et penetrabiliora omni gladio ancipiti, intima præcordiorũ euiſcerãtia, nimiãq; repleta dulcedine, vſq; ad diuiſionẽ animæ pertingẽtia. Expergiſcere nũc ô anima Chriſtiana ad tantæ benignitatis amorẽ, dulcedinis tantæ ſaporẽ, & ad tantæ ſuauitatis odorẽ. Certè qui iſta nõ ſentit, infirmus eſt, alienatus eſt, iã proximat morti. Inardeſce queſo ô anima mea, pingueſce amore: dulce ſapore nemo te prohibeat intrare, tenere, guſtare. Quid ãplius quærimꝰ, quid vltra expectamus, quid deſideramꝰ in hac vita? Habemꝰ ĩ Chriſto oĩa bona. Sed heu ô inſania noſtra mirabilis. O infirmitas miſerabilis. O veſania deteſtabilis. Nã vocamur ad requiẽ, & ſequimur

mur

mur laborem: inuitamur ad ſo-
lacium, & quærimus dolorem:
promittitur gaudium, et appeti-
mus moerorem. Mirabilis proſ-
ſus infirmitas, miſeráque per-
uerſitas. Iam omnes inſenſibiles
facti ſumus, & quaſi deteriores
ſimulachris, habentes oculos &
non videntes, aures & non au-
dientes, rationem & non diſcer-
nentes, amarum dulce, & dulce
amarum ponentes. O Deus,
vnde nobis tantæ peruerſitatis
correptio: vnde nobis tantæ of-
fenſionis ſatisfactio? Certè nihil
tale inuenitur in nobis, niſi tuo
munere tribuatur. Tu enim
ſolus potes nos corrigere: tu ſo-
lus pro noſtris delictis ſatisface-
re, qui ſolus noſti figmentum
noſtrum, ſalus & redemptio no-
ſtra: qui ſolùm illis hoc facis,
qui ſe miſeros conſpicientes in
imis à te ſolum releuari confi-
dunt. Leuemus ergo ad Deũ
mentis noſtræ oculos in directo,
& videamus vbi nunc proſtrati
ſumus, quoniam qui propriũ ca-
ſum ignorat, ſurgere min⁹ curat.

Cognoſcentes verò clamemus in fortitudine ad Deū de profundis vt nobis adiutricē porrigat mi-ſericordiæ ſuæ manū, quæ abbre-uiari nunq̄ poterit ad ſaluādum. Non queſo cōfidentiā amittam⁹ magnā remunerationē habentē. Adeamus thronum gratiæ eius cum fiducia, fructum noſtrę fidei reportātes, ſalutē ſcilicet anima-rū noſtrarū. Nulla nobis inſit cū-ctatio: iam enim vita nos vocat, ſalus expectat, tribulatio cōpellit intrare. Quid ergo facimus: q̄d pi-gritamus: q̄d moras cōtrahimus? Feſtinemus ingredi in illā regē iocunditatis ęternæ, vbi ſunt ma-gna & inſcrutabilia, quorū nō eſt numerus. Aſcendat queſo Hieru-ſalē cor noſtrū, ſuſpiritem⁹ ad pa-triā noſtrā, tendamus ſurſum ad matrē noſtrā. Introeamus in po-tentiam Dñi, & intueamur nr̄m regē in ea regnantē, & liqueſcant in miſerationib⁹ eius corda nr̄a. Agamus illi gratias toto corde, q̄ defectū noſtræ ingratitudinis nō cōſiderans, ſuæ nō abſtulit à nobis miſericordię pietatē. Deſi-

deriū

deriũ nobis tribuẽs ipſius viam currere mandatorũ, quã ſine deſiderio nullus currere poteſt: quod quidẽ munus nõ eſt vilipẽdendũ, ſed gratiæ reputandum: cũ hoc prophetarũ ille eximi⁹ ſe aſſerat cõcupiſſe, qui ait: Cõcupiuit aĩa mea deſiderare iuſtificatiões tuas in oĩ tẽpore. Sed quia hoc ipſum deſideriũ aliqñ nimia tepiditate nrę incurię & negligẽtię laſceſcit, cogitaui quędã incitationis huius memorialia annotare, in quibus fugienda pateãt & ſequenda, quæ qdẽ in affectu affectuoſe ſpeculãtes, priſtino vigore reſũpto, tãdiu infatigabiliter virtutibus & gratijs in charitate diuina creſcam⁹, quò adusq; perfectũ veniat deſideriũ colliũ æternorũ. Ponũtur aũt memorialiũ prædictorũ pri⁹ quædã generalia, poſtmodũ ſpecialibus ſubſequentibus.

*Memorialia generalia.*

Svnt ergo quędã virtutes probatę in iuuenibus & ſchalę ſalutis, ꝑ quas ſine dubio ad ꝑfectionẽ virtutũ & culmen gloriæ poſſunt aſcẽdere fideliter exercitati per eas: videlicet ſãcta vere-

cundia in cunctis rebus & actib⁹, ſcilicet tarditas loquendi, promptitudo obediendi, frequentatio orationis, fugere ocium & diſſolutiones, purè & frequenter confiteri, libēter ſeruire, & infructuoſum conſortium deuitare. Hæ namq; ſunt margaritæ fulgentes quæ poſſeſſorē ſuum Deo & angelis faciunt gratioſum. Dum autem ei placuerit, qui te ſegregauit ex vtero matris tuæ, vocauitque per gratiā ſuam, vt in te reuelaret imaginē filij ſui, de miſerabili ſeruitute ægyptiaca transferēs te in libertatem filiorum Dei. Iámq; in viam noui hominis inceperis pedem ponere, quæ inter timorē & amorē humilitatis eſt ſemita conſtituta, tunc per eandē humilitatis viam ad eminentiora conſcendens, poteris te in altioribus exercere: ex quibus certa memorialia ſubſcribuntur.

*De concupiſcētijs mortificādis.*

1 Oportet ergo ante omnia te cupientem veſtigia Saluatoris ſequi, vt ſpem tuam totam fixam in domino habeas de omnibus huius mundi conſolationibus pe

nitus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nitus te deſperans.

2 Vt ab omnibus vicijs & concupiſcentijs malis inquantum ſuſtinet humana cõditio, teipſũ ſtudeas penit⁹ emũdare: vt fermẽto veteri toti⁹ malitiæ & nequitiæ expurgato, ambules in nouitate vitæ poſt Chriſtũ: quia niſi prius hm̃oi cathenas iniquitatis confregeris, anima tua in tenebris aggregata, ad coeleſtia non poterit eleuari.

*De vicijs extirpãdis.*

3 Vt à teipſo diſſoluas omnẽ colligationẽ extrĩſecã, vt ſana et pura mente poſsis Deo colligari.

*De colligationibus reſecandis.*

4 Vt amore altiſsimi & ſponſi tui Chriſti omnes mundi huius perſecutiones ęquanimiter feras: imò ſi poſsibile eſt pro voto ſuſcipiens ſolùm in Chriſti paſsionibus delecteris: renuensq; omnem temporalem lætitiam in ipſis tribulationibus hilareſcas: omnes reputans tibi ad purgationẽ peccaminum, & lucrum animæ tuæ præparatas.

*De tribulationibus cum patiẽtia tolerãdis.*

5 Vt cũ creatorẽ tuũ te ſentias offẽdiſſe, rationem tibi fieri non poſcas ab aliqua creatura.

*Vt de nulla re cõqueraris.*

*De pau-pertate ſuiipſi⁹.*

6 Vt habeas deſpectui temetip
ſum, cupiens ab oĩbus deſpici: ze
lánſq; ſacratiſsimã paupertatem
in oĩbus quæ ad te ſpectãt. Aſpe-
ritatẽ, vilitatẽ, & parcitatẽ habe-
as quantũ potes: nõ tamẽ in alijs
requiras, ſed potius lætus & gau-
dens de omni cõſolatione frater-
na eis ſicut oportet, obſequendo,
& miniſtrando aſſiſtas, oĩs cõſo-
lationis eos reputãs eſſe dignos,
niſi (quód abſit) ita tibi in aliquo
pateret diuina offenſa, quòd om
ni excuſatione careret, de qua cõ
patiendo & timendo ex intimo
corde doleas quantũ potes.

*De honoribus fugiẽdis*

7 Vt omni tempore in timore
ſtans, blanditias huius ſeculi, ho-
nores, glorias, uel fauores, auráſq;
vanæ glorię quaſi mortiferas pe
ſtes omnino fugias toto poſſe:
ſtánſq; cõtinuò in te ipſo, oĩ hora
habeas te ſuſpectũ: quia ſi tuijpſi⁹
victoriã fueris aſſecutus, nullus
hoſtis interius vel exterius tibi
nocebit.

*De humilitate vera.*

8 Vt amore illius, qui cùm ſit
Dñs oĩm cœleſtiũ, terreſtriũ, &
infernorũ, pro nobis aſſumpſit
viliſſi-

viliſſimã ſerui formã, in ea ſubij-
ciens ſe voluntariè hoĩm poteſta
ti, humiliando teipſum, oẽm ho-
minẽ reputes tuũ dominũ, & te
veriſſimè reputes ſeruum oĩm, &
in omnibus circa hoẽm te repu-
tes ſicut ſeruũ. Sic enim trãquil-
litatem & pacẽ cũ omnibus per-
petuam obtinens, ſcandalum pe-
nitus ignorabis.

9 Vt nihil eorum tãgas, quæ te ſpirituali vtilitate nõ tangũt, hoc eſt, de nulla re cures vel implices te in aliquo exterius vel interius quoquo modo, vbi non inuenis aĩę tuæ lucrũ, nec in huiuſmodi te ab aliquo implicari permittas.

*De pace animę et quomodo habetur.*

10 Vt viſui atque omnib[9] corporis ſenſibus omnimodã cuſtodiã ponas, ita vt nihil prorſus velis videre, vel audire, aut tangere, niſi vtilia animæ tuæ. Linguã etiã diligentiſsimè reſtringas, vt nihil loquaris, niſi interrogatus, vel neceſsitate vel vtilitate euidẽti coactus Et tunc cum reuerẽtia animi, & timoris dulcedine breuiter & ſubmiſſe ſi potes, ſemper deuitãs prolixitatẽ verborũ, eorũ

*De cuſtodia ſenſuum.*

occaſiones iuxta poſſe præſcin-
dens.

*De ſolitudie & vigilijs.*

11 Vt gratā ſanctāq; ſolitudinē
deſiderās: oī tpe opationē vigili-
arum habeas precioſam, in ipſis
ſemper offerēs Deo orationes tu-
as cum attentione verborum, de-
uotionis feruore, & humilitate
profunda.

*De diuino officio.*

12 Vt cū debes diuinū officium
celebrare, ita fact⁹ in teipſo quiet⁹
obliuiſcaris oīm terrenorū, quate
n⁹ fixa mēte cœleſtibus inſiſtens
myſterijs, cū tāta illud deuotiōe,
reuerētia, gaudio ac timore pſol-
uas, quaſi inter angelorū agmina
conſtitutus diuino conſpectui lau
des præſentialiter offeras cum e-
iſdem.

*Quod ſuper oīa habeas ī deuotione virginē glorioſam.*

13 Vt glorioſam reginā dñi nřī
matrē benedictā in ſūmo habeas
oī tpe veneratiōis affectu: et ī cū-
ctis ad eā neceſsitatib⁹, periculis,
& preſſuris, tāquā ad refugiū tu-
tiſsimū te cōuertas: ipſius tutelę
præſidiū flagitādo, eāq; in tuā ſuſ
cipiēs aduocatā, deuotiſsimè ac ſe
curè tuā ei cauſā committas, quia
mř eſt miſericordię, quotidie ſtu
dens

dẽs ei ſpecialẽ & ſingularẽ reuerẽtiã exhibere. Et vt tua deuotio ſit ei accepta, & reuerẽtia grata: ipſiꝰ puritatẽ & mũdiciam oĩ virtute, mẽte & corpore, illibatè in teipſo ſeruando, toto conatu nitaris, humilitate & manſuetudine eius veſtigia imitari.

*Quomodo fugiẽda ſunt cõſortia mulierũ*

14 Vt vbique mulieres & virgines & iuuenes quoſcũq; prẹter neceſsitatis vel manifeſtę vtilitatis cauſam deuites. Et vnum vbicumque fueris, elige tibi patrem, virum quidem ſanctum, diſcretum, & pium, doctum potius experientia operis, quàm ſublimitate ſermonis, qui te verbis, & exemplis efficacibus, & probatis ad diuinum amorem illuſtret & inflammet: ad quem in cunctis neceſsitatibus tuis poſſis habere recurſum, & ſpirituale ſolamen.

*De fuga accidiæ, et triſtitiæ.*

15 Vt omnem frigiditatem accidiæ & triſtitiæ, in qua latet via confuſionis, quæ ducit ad mortem, à teipſo ſummo ſtudio depellens, interius exteriúſq; ſerenus ſemper & trãquillus exiſtas:

nulli

nulli vllo modo contradicas vel reſiſtas in aliquo: ſed poti⁹ omni modo, per oīa omnibus acquieſcens, dummodo diuinę laudi vel ſaluti animæ non obſiſtat.

*Quōd de oībus habeas bonum exemplum.*

16 Vt omnes affectiões tuas ac voluntates conformes diuinę voluntati. Omnia te ędificent, neq; te deędificet aliquid in hoc mundo, puritatis & innocentię gratia diuini tibi muneris elargitæ, nec aliorũ plus debito defectib⁹ perturbatus, iniquitati addendo iniquitatē, alienis ſordibus polluaris, ne dum cupis alios de pelago liberare, deterius ipſe corruas in profundum. Potius igitur omnia quibus non potes ſine detrimento prodeſſe operiens charitate benigna, illi ſummæ ſapientiæ derelinquas, quæ nouit bona de malis eligere quibuſcunque, ſicque in bonis operibus pariter atque malis ſpiritualē domino cōcedente poteris reperire profectum.

*De cuſtodia cordis.*

17 Vt cor tuum ſeruans omni cuſtodia, ſoliſq; ſpiritualibus exercitijs deditum, nullæ ibi rerum viſibilium imprimantur concu-

piſcen-

piſcentiæ, vt creaturis omnibus alienum liberè poſsit vacare omnium creatori.

*De charitate ad proxīos.*

18 Vt imaginem ac ſimilitudinem maieſtatis diuinæ conſiderans in cunctis hominibus, ita omnes diligas intimę charitatis affectu, omniũque & maximè infirmorũ, & quorumcunque indigentium curam geras, dummodo circa ſpiritualia tibi nõ fiat nociua diſtractio, ſicut bona mater diligit atque curat vnicũ filium prædilectum.

*De orationibus cum operibus ſãctis.*

19 Vt continuè mentem tuam ita habeas ordinatam cum Deo, quòd omne op⁹ tuum atque exercitium tam mentis quàm corporis ſit oratio, omniáque ſeruitia, & maximè humiliora cũ tanto facias charitatis feruore, acſi ea Chriſto corporaliter exhiberes. Quod certè debes & potes veraciter cogitare, quoniã ipſe dixit in euangelio: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

*De obedietia ſãcta.*

20 Vt honorem & reuerentiam omnibus tam debitam quàm deuotam ſanctiſsimæ obedientię

nor-

normam:nõ ſolum magnis, ve-
rũetiã minimis, quaſi pupillã ſtu
deas ſemper ſeruare illæſã. Obe-
diens quidẽ nedum maioribus &
prælatis, verũetiã omnibꝰ te ſub-
ijciens quibuſcũq;, abnegãdo teip
ſum pro Chriſto. In bonis & in
differẽtibus ſemp̱ alteriꝰ ſtudeas
facere voluntatem. In nullo pręs
bẽs te alicui oneroſũ, ſed potiꝰ in
charitate Chriſti diligens vniuer
ſos, teipſũ cõmuniter omnibꝰ gra
tũ reddẽs. Affabilitates, amicitias
& familiaritates fugias ſingula-
res. Sũmopere caueas ne vnquam
verbo vel facto, vel geſtu alicuiꝰ
rãcoris, odij, clamoris, iniurię, tur
bationis, murmurationis, detra-
ctionis, ſcãdali, & adulationis, &
quorumcunque ſimilium aliqua
ratione, vel modo per te vel ali-
um cauſa vel occaſio fias.

*Quod tribulationes et conſolatiões occulte teneas.*

21 Vt virtutes vel gratias ſpi-
rituales quas in te vel p̱ te diuina
miſericordia op̱ari dignetur, tri-
bulatiões & prelia virtutiſq; pro
poſitũ, vel ſimilia ab oĩbꝰ abſcõ-
dere ſtudeas quantũ potes. His
tñ exceptis, quę proprio ſacerdoti

in propria debēt accuſatione de-
tegi, niſi fortè alicui tuo ſpeciali,
& probato amico ea ſpiritualis v
tilitatis gratia reuelares, cuiꝰ cōſi
liū vel doctrinā ī huiuſmodi cre-
das tibi poſſe valere, ſolicitꝰ ſēꝑ ſu
rari tēpꝰ vbiq;, vt poſsis ſolicitè o
rationi & meditationi ſanctæ va
care, vt ſedendo ſolitarius eleua-
tus ſis deſiderio ad ſuperna.

22 Vt ſolutꝰ ab oībꝰ creaturis tā-
to mētis conatu deſiderijq; feruo
re circa tuū creatorē intendas, vt
quaſi omnium inferiorū oblitus
quicquid agas, & vbicunq; ſtete-
ris, et quibuſcunq; negocijs impli
ceris die ac nocte, & omni momē
to & hora Deum ſemper habeas
in memoria, credens & cogitans
te eſſe veriſsimè corā eo, & ipſū
cogitans vndique te aſpicere.

*Quod deum ſemꝑ & vbiq; habeas ī memoria.*

Hæc autem cogita cum magna
reuerentia, ac timore pariter &
amore, & cum magna diſcretio-
ne, nunc ante pedes immenſæ
maieſtatis eius proſtratus, cor-
de amariſsimo peccatorū veniā
poſtulādo. Nūc ſacratiſsimę paſ-
ſionis filij Dei gladio cōpaſsiōis

coram

coram eius cruce vulneratus, cũ
eo lachrymoſus & flebilis appa-
rendo. Nũc totius vitæ illius de-
curſus obliquitati tuæ, velut re-
ctitudinis lineam præponendo.
Nunc inenarrabilia & immenſa
Dei beneficia mente pertractans,
gratiarũ actionibus inſiſtendo.
Nunc ſtimulis ipſius amoris ar-
dentiſſimè punctus, ipſum in cre
aturis omnibus intuendo. Nunc
potentiam, nunc ſapientiam, nũc
bonitatem & clemẽtiam eius at-
tendens, eum deuotiſsimè in cun
ctis operibus ſuis collaudando.
Nũc deſiderio patrię cœleſtis at-
tractus ad ipſũ gemebũdis ſuſpi-
rijs anhelãdo. Nũc circa nos viſce
ra inæſtimabilis charitatis eius
aſpiciens lętabunda quadã & ex-
ceſſiua admiratione corde & ani
mo in ipſo deficiendo. Nunc te
præcipitem: nunc te fugientem:
nunc te ruentem: nunc Deum te
tenentẽ: ſubleuantem: retinentẽ,
& attrahentem. Nunc Deũ te in-
gratũ per omnia conſeruantem
conſiderans, ineffabilibus diuinæ
mię viſceribus tibi patefactis ni-

mio in eo charitatis ardore te cō ferens, totū te fletib⁹ reſoluendo. Nunc verò occultiſsima, profundiſsima, & ſummè arcana, nimiumq́; ſtupenda iudicia iuſtitiæ eius, diligenter attendens eum in omnibus fidelis & conſtans cum ſummo amore, ingenti quoque timore ac tremore diſcretus, ſupplex & humilis venerando. Præ omnibus autem continuam & viuam memoriam ipſius ſacratiſsimæ paſsionis in animo & corde tuo ferens: & ei quantum potes ſtudeas conformari.

21 Vt ſuper cuſtodia tua vigilans omni tempore ab antiqui hoſtis fraudibus (qui ſæpe ſe in angelum lucis transfigurans omni tempore, omni via homini laqueum tendit & retia, vt animas noſtras valeat captiuare) ſollicitudine te tutiſsima tuearis: venantium laqueos fugiēs ſicut paſſer: tantæq́; puritatis humilitate ſancta in oculis tuis fias, vt ne ſubtiliſsima eius retia te valeant continere, à quibus ſanè tunc poteris liberari illęſus, cùm effectus *De ſolicita cuſtodia ſuiipſius.*

fue-

fueris Iſrael continuè mentalibus
oculis videns Deum, quia nõ dor
mitabit neq; dormiet eius cuſtos.

*De pura cõfeſsiõe peccatorum.*

24 Vt tenens indefeſſum inſti
tuti ſancti rigorem, ſacris ardori-
bus cœleſtiũ deſideriorũ ſuccẽſꝰ
mentis & corporis mũdiciæ pul
chritudinem, innocentiæ purita
tem, cõſcientiæque teneritudinẽ
conſeruãs, cura diligẽtiſsima ca-
ueas ne vnquã tependo in aliquo
reſipiſcas. Ad quod quidẽ diligen
tius & purius conſeruandũ, quo-
tidiana diſcuſsione ſepties in die
examines vitam tuam. Sẽper ãte
vel immediatè poſt quamlibet
horam Canonicã: conſiderans &
diſcutiẽs attentiſsimè qualiter de
hora in horã ambulaueris dignè
corã Deo ſine macula in iuſtitiæ
ſemita. Et quia nemo eſt qui ſic
diſciplinam & iuſtitiã obſeruet,
vt nihil penitus negligat vel o-
mittat, ideo neceſſariũ eſt, vt ad
pœnitentię lauacrũ recurrens cũ
dolore & gemitu ſępiſsimè tuæ
accuſationi inſiſtas. In qua quidẽ
accuſatione ſeu confeſsione, inte
grè, veraciter & purè, ſine omni
vela-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

velamine excuſationis vel oc-
cultationis ſeu palliationis , per
ordinē omnes tuos retexēdo de-
fectus , ſacerdoti proprio tanquā
Deo debes intimare,narrādo pri
us omiſsiones quas in his quę ſūt
ad Deū feciſti,et maximè in ora-
tiōe,quantū ad duplicē eius par-
tē,mentalē ſcilicet & vocalē. De-
inde defect⁹ in obſeruatione iu-
ſtitię quoad proximū,poſt com-
miſsiōes quas egiſti exmala cuſto
dia ſēſuū, & ſenſib⁹ adiacētiū, affe
ctionū & cogitationū. Hanc aūt
cōfeſsionē ſemp debet cōtritio et
ſatisfactio comitari,vt doleas vi-
delicet de omnib⁹ offenſis: nō ſo
lùm de magnis,ſed etiā de modi-
cis:et dolēdo caueas iterare cul-
pam,ſemper ſtudēs cauſas et occa
ſiones peccati præſcindere, quan
tūcunq; per amorē videātur tibi
cōiūctę:quia tūc iuxta Saluatoris
ſentētiā eruend⁹ eſt oculus ſcāda
liſās,i.occaſiōes peccati vitandæ:
quæ quidem apparent nobis de-
lectabiles nimium : etiam ſi mul
tum nobis diſpliceant earū effe-
ctus. Vn̄ fortiſsimū eſt in hac pu
gna

gna bellũ: & ideo oportet ſecundum Dei præceptũ eſſe cœcũ, ſurdũ, & mutũ, & inſenſibilẽ ad oĩa in quibꝰ nõ inuenit aĩa lucrũ. Vt aũt diuinorũ præceptorũ, eiuſq; diſciplinæ cœleſtis obſeruantiã: in ſupradictis & cæteris alijs ſollicitius intendas, ac feruentius accẽdaris: ſtudeas hæc quinque ſemel ad minus inter diem & noctem, affectuosè & morosè omni tempore ſyncera mente tractare, quã ſcilicet ſit breuis vita noſtra, quã lubrica via, quàm mors incerta, quæ præmia iuſtis: quæ ſupplicia parantur iniuſtis, vt nõ ſit ſeruitium ſine timore, nec gaudiũ ſine tremore.

*Quales eſſe debemꝰ in noſtra reputatione, quãuis perfecti.*

25 Vt cùm diuina gratia largiente omnia benefeceris, te ſeruũ inutilem & peccatorẽ recognoſcens, omni beneficio Dei reputes te indignum: ſemper robuſtiſsimam fidem tenẽs, repletus charitate diuina, fiducia magna, ſperãs ab ipſo miſericordiſsimo patre miſericordiæ tibi viſcera aperiri: vt dũ in foſſam profundæ humilitatis firmiſsima ieceris fidei fun

damen

damenta: erexeriſq; lucidiſsimos
parietes continuę ac feruidę cha
ritatis: decoratos omnium virtu
tum picturis, tectumq; deſidera-
tæ ſpei beatiſsimæ poſueris glori
oſum: tādem omnibus ordinatè
diſpoſitis ſummus ille cœleſtis
inhabitator, dulciſq; hoſpes fide-
lium animarū, cuius delitiæ ſunt
eſſe cum filijs hominum: tamdiu
tecū dignetur inhabitare per gra
tiam in præſenti ſeculo vel exi-
lio, quouſque poſt terminū vitæ
huius, in cœleſtis beatitudinis pa
tria glorioſa ſtola perpetuę im-
mortalitatis indutus, claritatem
vultus eius cum omnibus ſanctis
cernere merearis in iubilo: vbi
erit ſumma fœlicitas, & æterna
beatitudo: finis & complementū
omnium deſideriorū noſtrorū.

*Concluſio epiſtolæ huius*

HOC verūtamen adhuc ſci-
as chariſſime frater indubi-
tanter, ꝙ niſi perfectè abne-
gaueris temetipſum, ſequi nō po
teris veſtigia Saluatoris: & ſine
ſolicitudine continua & labore,
eius gratiā adipiſci nequibis. Et
niſi aſsiduè [redacted] pulſaueris, portas
eius,

eius, ingredi non poteris ad pacē mentis. Et niſi te inſtanter in timore Dei tenueris, citò domus tua corruet in profundum. Et ſi fideliter & conſtanter te tenueris, & exercitatus fueris in prædictis, ſpero in miſericordia Saluatoris, quòd te gratia ſua dignum faciet in præſenti: ſecúmque potieris gloria in futuro: quod ipſe tibi concedat, qui eſt trinus & vnus in ſecula ſeculorum benedictus. AMEN.

HAEC autem chariſsime non ideo tibi ſcripſi, quia te crederem talibus indigere: ſed quia ante collegerā pro meipſo: cernenſque meæ inconſtantiæ pronitatem, ſeu conſtantiæ paruitatem: cogitaui ea tibi, tanquam coadiutori fideli communicare: vt quod mea puſillanimitate negligentiáque tepóris omittitur, tua magnanimitate feruoríſque ſollicitudine reſtauretur: maximè cùm te concordem quaſi omnibus votis meis in huiuſmodi ſimplicioribus plurimum delectari cognoſcam. Quapro-

pter

pter chariſsime in Chriſto hęc ea
rogo charitate ſuſcipias , qua illa
tibi me ſcio affectione miſiſſe, vt
videlicet his omnibus ſupradi-
ctis, quorum quidem diſciplina
non videtur eſſe gaudij , ſed me-
roris: ita per cœleſtium ſtudio-
rum exercitia , ſtudeas te manci-
pare : vt pacatiſsimum iuſtitiæ
fructum afferant in futuro: & ex-
pectationis eius dulcis memoria
etiam in præſenti anima tua gu-
ſtu deuotionis adipe & pinguedi
ne repleatur in Chriſto Ieſu do-
mino noſtro : cui me aridum &
verboſum potius quàm deuotū,
deuotis tuis orationibus com
mendabis. Cui eſt honor,
& gloria, decus & im-
perium, per infini-
ta ſecula ſecu-
lorum.

AMEN.




L
CON
REL
ſ
Primùm à
VVeſalien
dam ſtu
bu

In uſ
C



C C
Ad in

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Soto

De institu-
tione sacer-
dotum et

Loci com-
munes
Religiosis

Th
2383

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN